MASTER NEGATIVE NO. 93-81401-5

AUTHOR:

BORDELLE, GEORG

TITLE:

DE LINGUAE LATINAE ADJECTIVIS SUFFIXO...

PLACE:

DUESSELDORFIAE

DATE:

1873

Master Negative #

93-81401-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

877.56
Z8
v.1

Bordellé, Georg, 1850-
De linguae latinae adjectivis suffixo to a nominibus derivatis, dissertatio ... quam scripsit ... publice defendet Georgius Bordellé... Duesseldorfiae, ex typographia Regia aulica L. Vossii, [1873]
57 p. 21½ cm.

Thesis. Breslau.

Volume of theses.

47624

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/11/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



no. 1

DE

LINGUAE LATINAE ADJECTIVIS

SUFFIXO TO

A NOMINIBUS DERIVATIS.

n o. 1

DE

LINGUAE LATINAE ADJECTIVIS

SUFFIXO TO

A NOMINIBUS DERIVATIS.

5

DE
LINGUAE LATINAE ADJECTIVIS
SUFFIXO TO
A NOMINIBUS DERIVATIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIX. MENSIS NOVEMBRIS A. MDCCCLXXIII
HORA XI
PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS BORDELLÉ
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:
A. HANKE, CAND. PHIL., A. SCHULTZ, STUD. PHIL.
F. v. STOJENTIN, STUD. PHIL.

DUESSELDORFIAE.
EX TYPOGRAPHIA REGIA AULICA L. VOSSII & SOC.

VIRO ILLUSTRISSIMO

MARTINO HERTZ

PRAECEPTORI DOCTISSIMO BENEVOLENTISSIMO

SACRUM.

In omnibus, quae de grammatica fiunt, quaestionibus comparatione et aliarum linguarum, quae quidem cognatae sint, et ejus ipsius linguae, de qua quaestio instituitur, diversorum temporum magnum afferri adjumentum ad illustrandam rem, sive de vocabulorum notione, sive de declinationis et conjugationis formis investigandum est, inde ab altero hujus saeculi decennio virorum doctorum variis studiis uberrime est demonstratum. Qua quidem e re cum multi alii tum hic natus est fructus, ut nostro tempore apud omnes fere, qui de grammatica doctorum virorum modo alios docere velint, hoc valeat fundamentum et quasi princeps fulcrum: grammaticam esse historiam linguae, in qua non minus omnium dialectorum quam omnium diversissimis temporibus florentium scriptorum ratio sit habenda. Id semper tenendum esse ne ii quidem non concedunt, qui toti huic generi grammaticae comparativae, quae vocatur, adversantur ut in singulis linguis vel in iis conjunctis, quae classicarum nomen obtinent, studiorum ἀκρίβειαν, quam Graeci vocant, si non tollenti, at certe deminuenti. Quid vero? Quasi non aliud sit de complurium linguarum cognatione inquirere, aliud de unius linguae ratione et quasi indole disserere, quo quidem in genere quatenus ceterae linguae comparandae sint, in singula quaque quaestione indicatur, cum id, de quo disputatur, aut ex eadem lingua perspicuum fiat aut explanatione aliunde repetenda egeat. Quamquam, utut res se habet, propterea comparatio semper utilis erit, quia omnibus, quae ad eandem rem pertinent, prolatis, si ea, quae communia sunt, tolluntur, id, quod certae linguae est proprium, remanet. Eos enim, qui nihil aliud affectant, nisi ut, quae paria vel similia sunt diversis linguis eruant, perverse facere, quippe cum sic facile apud eos, qui legunt, falsa de singulis linguis oriatur opinio, vix est, cur demonstretur. Viros enim hac vel illa arte praeter ceteros excellentes quicumque inter

se comparare voluit, nunquam satis habuit de sola inter eos similitudine verba facere neglectis omnibus, quae discrepant. Quamquam injuste a grammaticae comparativae adversariis hoc ipsum illis, qui ei student, probro dari mihi videtur, quod non fere differentia atque contraria, sed sola congruentia atque communia in medium proferant. Primnm enim certe quaecumque de cujuslibet generis rebus fit comparatio in recte constituenda similitudine debet versari, priusquam cetera promantur. Grammaticam autem comparativam ad hoc tempus disciplinam esse haudquaquam ab omnibus partibus perfectam, sed studiis maximo opere cum diligentia conjunctis magis magisque illustrandam et fulciendam, vel acerrimorum ejus propugnatorum vix quisquam invenietur, quin libentissime confiteatur. Imo hi ipsi data opera disserunt diversa atque contraria non minus observanda esse quam similia atque congruentia, ut Curtium et Stenzlerum, praeceptores carissimos, denuo atque denuo commemorare memini.

Iam qui e grammatica aliquid promere voluerit, in quod prima studia exerceat, ei, etiamsi grammaticae comparativae operam dederit, ex una lingua aliquid sumere, quo a ceteris cognatis differat, propterea maxime consentaneum videatur, quia sic in una potissimum lingua versandum est. Quod si ego, cum de suffixo -ta, quo in linguis Indo-Germanicis adjectiva participiorum perfecti passivi notione primum a verbis, deinde ab aliis orationis partibus derivantur, nonnulla in legendo collegissem et annotavissem, haud inutilem quaestionem judicaveram paullo diligentius in hanc rem inquirere: in unam linguam operam conferendam esse duxi, ne, per multas cum vager, propter inscientiam parum accurate agere cogar. Neque vero satis habui in unius linguae ejusque Latinae circulum, ut ita dicam, id, de quo disputaturus eram, constringere; sed rudimenta literaria cum essem prolaturus, quam artissimis finibus disputatiunculam circumscribendam ratus de singulari quodam genere adjectivorum in -to, nominativa forma -tus, -ta, -tum, dicere institui. Adjectiva dico non a verbis, sed ab aliis orationis partibus ducta, quorum praecipue in Latina lingua copia est paene infinita.

Neque inconsulte praeter ceteras Latinam linguam elegisse mihi videor. Numerus sane ejusdem generis vocabulorum etiam in aliis linguis ad Aricam stirpem pertinentibus haudquaquam parvus est, imprimis in Sanscrita et in Germanica.

Pauca afferam exempla,

târita, stellatus, gestirnt, a substantivo târâ f. stella;
ankuçita, hamo, stimulo impulsus, a substantivo ankuça, hamus, stimulus;
kallolita, undans, a substantivo kallola, unda;
arunita, rufus factus, ab adjectivo aruna, rufus;
alpita, deminutus, ab adjectivo alpa, parvus;

E lingua Germanica, qua nunc utimur, haec exemplorum locum obtineant vocabula:

gestirnt, stellatus (cf. supra) a substantivo stern;
gestiefelt, calceatus, a substantivo stiefel;
gehörnt, cornutus, a substantivo horn;
bebärtet, barbatus, a substantivo bart;
behaart, crinitus, a substantivo haar;
bejahrt, senex, a substantivo jahr;
verkappt, velatus, personatus, a substantivo kappe;
vergittert, cancellatus, a substantivo gitter;
versandet, arena obrutus, a substantivo sand;
vergilbt, gilvus factus, ab adjectivo gelb;

Non pauca exempla etiam in Anglicana lingua, si quis diligentius quaerat, se offerant; haec sufficiant:

leafed, foliis praeditus, belaubt, a substantivo leaf;
aged, senex, bejahrt, a substantivo age;
feathered, pinnatus, befiedert, a substantivo feather;

Imprimis usitata ea videntur esse, quae cum quibusdam adjectivis vel substantivis composita sunt, ut

hare-hearted, leporis cor habens (cf. hasenfuss), a substantivo heart, cor, compositum cum substantivo hare, lepus;
hare-lipped, leporis labra habens, a substantivo lip, labrum, eodem modo compositum;
bare-footed, nudis pedibus, barfuss, a substantivo foot, pes, compositum cum adjectivo bare, nudus;
bare-legged, nudis cruribus; leg idem est quod crus.

Non videtur silentio esse praetermittendum, quod in lingua Graeca, alias in formandis vocabulis uberrima, paucissima adjectiva, quae huc quadrent, videntur exstare. Quamquam, sicut verborum derivatorum apud Graecos maxime varia est formatio, ita in his ipsis, quae exstant, vocabulis paucis magna formarum invenitur varietas, id quod jam e nonnullis exemplis elucebit; cf.

in -ητος ἀστομάχητος, cui bilis non est mota;
in -ωτος ἀστραγαλωτός, talaris (ἀστράγαλον idem est quod talus);
βροχωτός, illaqueatus (βρόχος idem quod laqueus);
simpliciter in -τος ἀγέραστος, honoris praemio carens;
in -αστος ἀτρίβαστος[1]) eadem significatione atque ἀτριβής integer;
in -ιστος ἀσολοικίστως, apte, derivatum ab adjectivo ἀσόλοικος in modum adjectivorum verbalium ad verba in -ιζω spectantium.

Quamquam igitur et in Sanscrita et in Germanica lingua eorum, de quibus quaestio versatur, adjectivorum numerus invenitur haud mediocris neque Graeco sermoni eorundem varietas formationis deest, cur tamen de iis, quae Latina lingua exhibet, uberius institui posse quaestio mihi visa sit, haec fere habeo, quibus probem.

In Sanscrita lingua imprimis usitata formandi ratio haec est, ut -ta syllaba ad substantivum vel adjectivum id, de quo novum illud adjectivum formatur, i vocali interposita adjungatur; itaque eodem modo haec in -ita finita adjectiva oriuntur, quo participia perfecti passivi verborum derivatorum, quae decima conjugationis classe comprehenduntur. Quomodo igitur a verbo viç, intrare, causativum veçayâmi, facio ut aliquis intret, formatur et ex eo participium perfecti passivi veçita, vel a pîd, premo, primum causativum pîdayâmi, unde participium perfecti passivi pîdita, eodem modo
e karnaka, ramus, furca, fit karnakita, ramis, furcis instructus (cf. furcillatus),
et ex adjectivo karbura, punctatus, apiatus, karburita eadem significatione.

Ceterorum in -ta exeuntium adjectivorum ductorum a nominibus ratio haec est, ut -ta syllaba simpliciter ultimae literae stirpali se connectat. Itaque fit
ex ap, aqua, apta, aquatilis,
e manyu, ira, a-manyuta, sine ira.

Quae formatio quamvis simplex sit, simplicior tamen in linguis Germanicis invenitur, cum in iis omnia verba denomina-

[1]) Haec formatio eadem est atque adjectivorum verbalium ad verba in -αζω pertinentium; est autem vocabulum ductum ab adjectivo ἀτριβής.

tiva ea conjugatione contineantur, cui Jacobus Grimmius debilis nomen imposuit, ad eorumque modum participiorum praeteriti formationis huc cadentia vocabula omnino se applicent.

Iam vero eorundem quam varia Latini sermonis est formationis ratio, quanta et quam paene infinita vocabulorum ipsorum copia! Alterum paucis exemplis formatione inter se diversis perspicuum fiet:
alatus ab ala,
delicatus a deliciae,
argentatus ab argentum (argento-),
dentatus a dens (dent-),
sensatus a sensus (sensu-),
speciatus a species (specie-),
crinîtus a crinis (crini-),
avîtus ab avus (avo-),
cinctûtus a cinctus (cinctu-),
aegrôtus ab aeger (aegrŏ),
onus-tus ab onus (onus-, ones-, oner-),
in-tempes-tus a tempus (tempos-, tempes-).

De altero sat est commemoravisse numerum esse plus quadringentorum. Accedunt insuper ea, quae in -etum primum ab arboribus earumque similibus plantis, mox etiam ab aliis nominibus derivata sunt, quorum numerus est fere sexaginta. Quae cum ita sint, sperandum est fore, ut melius de Latinis in tus (to-) exeuntibus adjectivis originem a nominibus ducentibus nullo interposito verbo, ad quod pertineant, quaeri possit, quam de cujusvis linguae cognatae eodem genere vocabulorum.

Priusquam vero rem ipsam aggrediamur, statim ab initio quaestio oritur subdifficilis. Quamquam enim numerum, quem diligenter perquisito lexico cognoveram, paullo ante commemoravi, ipse valde dubius factus sum, an omnino is numerus recte circumscribi non possit. Quis enim audeat affirmare plura vocabula non fuisse in usu, quam quae apud scriptores usque ad hoc tempus conservatos legimus? Neque id ita accipi velim, quasi in omnibus quaestionibus grammaticis haec res tam gravis momenti sit, ut jure desparandum sit nos recti atque certi quidquam consequi posse. Sed hoc loco res quodammodo alia est. Longe enim maxima pars horum in -tus adjectivorum non nisi apud eos scriptores invenitur, qui multo post Augusteae aetatis,

quae vocatur, tempora floruerunt, neque pauca non nisi semel vel bis leguntur, ut e locis ipsis appareat scriptorem in scribendo vocabulum formavisse, ut brevi elocutione uteretur. Quam quidem ad rem melius intellegendam haud inutile fore confido in memoriam revocare, quomodo nos illa adjectiva in -t vel -et desinentia usurpemus. Cujus generis cum multa usu jam trita sint ut gepanzert, bewaldet, vernarrt, alia rarius inveniuntur, nonnulla ab unoquoque formantur et ab omnibus intelleguntur ut bemähnt, bebändert, gerändert; quorum in nonnullis, quia recentioris neque antea usitatae elocutionis speciem praebent, ut befrackt, bepelzt, comici vel ridiculi quiddam nobis audientibus videtur inesse. Documento autem id ipsum est non posse hunc numerum certis finibus circumscribi. Quodsi ansatus vocabulum hastis et telis apponitur apud Ennium, homini apud Plautum, vasi apud Columellam, jure concludimus id saepius in usu fuisse; sin et insulatus et musicatus semel apud eundem Apulejum legimus, quis dicat alias ea vel in scribendo vel in loquendo non collocata esse? Denique unde cognoscamus omnino non plura vocabula exstitisse [1]), quam quae legimus? Nihilo setius tamen, quoniam eorum, quae rarissime inveniuntur, neque formatio neque notio novi quidquam affert, quaestionem ad probabilitatem certe posse produci confidendum est. Itaque ad adjectiva Latina in to-, nominativa forma -tus finita, quae a nominibus derivantur, jam videtur esse pergendum.

Ac primum quidem, quid sit maxime proprium hujus formandi rationis, placet accurate constituere. Qua de re quia a viris doctissimis jam saepenumero verba sunt facta, Corsseni, quo nemo distinctius hanc rem mihi videtur exposuisse [2]), verba ipsa hoc loco proferam.

Es versteht sich, dass die eben besprochenen nominalendungen mit dem langen a in der sprache sich emancipirt haben und selbständig und unabhängig von verben der a-conjugation, ihrem eigentlichen mutterstock, aufgetreten sind, das heisst mit andern

[1]) Cf. Curtius, Erl. z. griech. schulgr., p. 13. Uebrigens weiss jeder, der in dieser beziehung (sprachliche erscheinungen, die schwerlich auf der schule zur sprache kommen) einmal studien gemacht hat, wie misslich es oft um die statistischen nachweise bestellt ist.

[2]) Corssen, Krit. beitr., p. 399.

worten, zahlreiche wortformen der art sind nach der analogie der bereits vorhandenen mit jenen suffixen gebildet worden, ohne dass ihnen jedesmal ein gleichstämmiges verbum der a-conjugation vorherging. Aber sie haben solche „wenigstens ideell zur voraussetzung", wie es Pott ausdrückt, indem er von den bildungen cousul-a-tu-s, curion-a-tu-s u. a. spricht (E. F. II, 1015, 2. a.), während Bopp dieselben gleichsam nur nachahmungen der von verben der ersten conjugation entspringenden abstracta nennt (vergl. gr. III, §. 955, p. 428, 3. ed.).

In eundem fere modum Corssenus alio loco [1]) de ceteris adjectivis, quae in -utus, -itus, -etus finiuntur, disputat. Cujus ipsius e verbis supra allatis liquet Boppium et Pottium idem fere sentire. In hoc igitur cardine, ut ita dicam, explanationis ratio versatur, ut secundum analogiam quorundam vocabulorum exstantium haec formentur intermisso quasi uno formationis gradu. Quam quidem ad rem melius illustrandam Boppius substantiva in -atus, ut curionatus, decurionatus, decemviratus in comparationem vocat. Miror, cur non plura addiderit. Saepissime enim eadem formandi ratio praecipue in lingua Latina invenitur, et facile ex ea ipsa permagnam exemplorum vim afferas. E quibus imprimis quinque genera huc referenda sunt.

Primo loco substantivorum in -tor, -trix mentio fiat, quae permulta e substantivis secundum eorum analogiam formata sunt, quae a verbis derivantur, ut aleator, viator, janitor [2]).

Deinde accedunt vocabula in -mentum similiter formata. Substantiva enim in -men et -mentum, quod quidem idem esse suffixum -men auctum -to (-tum) suffixo Boppius et Corssenus demonstraverunt, cum instrumentum, quo actio quaedam fit, significent, consentaneum est a verbis duci, atque ingens profecto huc cadentium vocabulorum est vis. Exstant autem nonnulla eadem formationis specie, eadem significationis vi, ducta tamen non a verbis, sed a nominibus neque minus ab adjectivis quam a substantivis. Huc referenda sunt

[1]) Corssen, Krit. beitr., p. 517.

[2]) Cf. Zumpt, Lat. gr. § 236, p. 209, 11. a. — Valde doleo me quaestionem de vocabulis Latinis in -tor, -trix quamvis data opera neque per librarios neque alia via adipisci potuisse, quam anno h. s LVIII. Gissae in publicum prodiisse e Friderici Haasii de grammatica Latina lectionibus cognoveram.

atramentum ab *atrare[1]), derivatum ab ater (atrŏ-), ferramentum a *ferrare, derivatum a ferrum (ferrŏ-), initiamentum ab *initiare, derivatum ab initium (initiŏ-); nonnulla u vocalem ante -mentum exhibent ut albumentum, quasi ab *albuere (albus, albŏ-); albamentam vero eadem significatione a verbo albare derivatum est.

Tum maximus est numerus verborum inchoativorum, quae vocantur, in -ascere, -escere, -iscere cadentium nullo exhibito primitivo verbo a nominibus ortorum[2]). Exempla sint verborum in -ascere haec:

irroborascere (in-robor-),
puellascere (puella-),
purpurascere (purpura-),
siccascere (sicco-), etiam siccescere invenitur,
vesperascere (vespero-),
veterascere (veter-).

Multo major est copia verborum eadem ratione in -escere formatorum, ut

brutescere (bruto-), obbrutescere,
lapidescere (lapid-),
matrescere (matr-),
mitescere (miti-),
plumescere (pluma-).

Pauca in -iscere finiuntur, ut

laetiscere (laeto-),
longiscere (longo-).

Ceterum certam quandam formandi regulam ego invenire non potui; in -ascere enim exeuntia verba et a substantivis -a litera finitis deducuntur, ut puellascere a puella, purpurascere a purpura, et a nominibus o vocali terminatis, ut siccascere a sicco-, et a nominibus consonantem exitum stirpalem exhibentibus, ut irroborascere a robor-. Eademque est ratio verborum in -escere et -iscere exeuntium.

Denique, quantus sit numerus substantivorum in -atus u-declinatione flexis, ut illustrissimatus, egrigiatus, perfectissimatus, quae

---

[1]) Formis non usitatis asteriscum *praeposui
[2]) Cf. Zumpt, Lat. gr. §. 205, p. 182 sq. (11. a.).

a nominibus originem ducunt, vix antea suspicatus eram. Ipse in sexaginta[1]) fere incidi.

Postremo vero maxime miratus sum nusquam, quod ego sciam, ne mentionem quidem factam esse magnae copiae vocabulorum ejus formationis, quae proxime accedit ad hanc, de qua quaestio est, secundum analogiam participiorum perfecti passivi derivatorum adjectivorum in -tus ut stellatus, crinitus. Adjectiva in -ans et -ens dico, quae permulta quasi participia praesentis activi a nominibus ducuntur, cum ejus, ad quod hoc participium pertineat, verbi alia vestigia quaerenti sese offerant nulla. Quam quidem rem, quippe de qua nemodum videatur disputavisse, si paullo accuratius illustrandam mihi sumpsi, quasi quodam meo jure id fecisse mihi videor.

Ut adjectivorum, de quibus agitur, in -tus finitorum longe maxima pars ea sunt, quae in -atus exeunt, quasi exstet verbum in -are, sic in -ns adjectivorum ea sunt longe plurima, in quibus a vocalis ante -ns literas invenitur. Sunt autem haec:

I. In -ans desinentia adjectiva.

1) a substantivis in -a derivata.

araneans, i. e. aranearum texturas continens Plaut., fauces ar., Apul. Met. 4, p. 125, 34.
comans Ov. Met. 15, 749.
ignicomans Avien. Arat. 8.
rosans, i. e. rosae colorem gerens Poet. in Catalect. 2, 28.
squamans idem quod squamiger, Manil. 5, 412.

---

[1]) decemviratus, duumviratus, quatuorviratus, quindecimviratus, quinqueviratus, septemviratus, seviratus, triumviratus, vigintiviratus;
consulatus, curionatus, decurionatus, ducatus, principatus, proconsulatus, tribunatus;
diaconatus, presbyteriatus, saliatus; episcopatus; postumatus, primatus, prioratus, proximatus, secundatus, summatus; potentatus, praesidatus, primiceriatus, primipilatus;
patriciatus, clarissimatus, perfectissimatus, egregiatus; caelibatus, clericatus, colonatus, discipulatus, condiscipulatus, paedagogatus, patronatus, reatus, spadonatus, tironatus;
inquilinatus, lymphatus, matronatus, municipatus, obsidatus, parricidatus, peditatus, pellicatus, recidivatus, stellionatus, univiratus, viratus; bimatus, trimatus, quadrimatus, quimatus.

stellans, i. e. stellas gerens; nox st. Cic., coelum st. Lucr., gemma st. Ov. Met. 1, 723, volatus st. Plin. frontem st. Mart.

2) a nominibus o-declinationis deducta.

a) a substantivis.

buxans, i. e. buxi speciem gerens Appul. Met. 8, p. 211, 5.

corniculans, i e. quasi cornicula gerens, luna c. i. e. nova (cf. infra s. v. corniculatus).

b) ab adjectivis.

caerulans; Musa caerulanti circumlita peplo i. e. Astrologia, Fulgent. Mythol. 1, p. 26, Muncker.

punicans.

3) a substantivis in consonam stirpalem finitis derivata.

ferruginans, guttae f. i. e. guttae, in quibus ferrum continetur Tert. adv. Valent. 15.

lividinans [1]) idem quod invidus.

quadrupedans idem quod quadrupes.

4) Singillatim nominanda sunt haec.

crispicans, quod non ab adjectivo crispus ductum est, sed quasi a verbo *crispicare, e crispo eodem modo orto, quo fabricare a fabro-. Ceterum e crispicans vocabulo verbi natura plane elucet (cf. Gell. 18, 11, 3 mare crispicans ventus), cum cetera vocabula in -ans, quae antea commemoravi, prorsus adjectivam vim induerint;

arrotans,
concolorans,
confamulans,
crispisulcans.

His quatuor adjectivis commune est, quod, quamquam verba simplicia rotare, colorare, famulari, sulcare exstant, tamen composita *arrotare, *concolorare, *confamulari, *crispisulcare non inveniuntur; itaque uno formationis gradu haec quoque supersedent. Neque id neglegendum est, quod colorare transitive dicitur, concolorans intransitive.

---

[1]) Quod varia lectio est libidinantium (Petron, 108, 7), id quidem hic nihil ad rem; formandi enim ratio libidinans adjectivi a libidin- prorsus eadem est quae adjectivi lividinans.

II. In -ens exeuntia duo sola ab adjectivis derivata

adjectiva inveni eadem notione, qua illa ipsa adjectiva. Sunt autem haec:

piens a pio-, idem quod pius et
gracilens a gracili-, idem quod gracilis.

Accedit singulari quadam formatione

crepusculascens quasi participium praesentis verbi *crepusculascere a crepusculo deducti; hora crep. Sidon Ep. 8, 3 (cf. dämmerstunde).

Omitto cetera in -ans et -ens adjectiva ut elegans, aurigans, nefrens, quia huc nihil valent.

Ceterum toti huic generi non habeo, quod e cognatis linguis conferam nisi e vernacula lingua „eine milchende kuh", e carmine Ernesti Mauritii Arndtii, quod „der feldmarschall" inscriptum est, „sein greisender bart", denique notissimum illud „wo hast du denn gewesen, mein ziegender bock?"

Quoniam ad hunc locum perventum est, ut ipsa vocabula in -tus (to-) diligentius in disputationem vocanda sint, haud absonum erit, priusquam ad singula accedatur, nonnulla praemittere, quae ad totum genus pertineant. Imprimis enim quaestio oritur, quo sint ordine collocanda, ut eorum ratio luculentissime appareat. Diu ipse quaesivi, nonne in notione ipsa causa subsit, cur haec adjectiva sic oriantur, alia non formentur; sed frustra. Imo qui hoc modo omnia haec vocubula in certum quendam ordinem disponere conatus sit, videat, ne eodem deducatur, quo ii, qui niger vocabulo propter claras ejus vocales vim splendendi proprie convenire necesse esse sibi persuadent, vel ii, qui mirantur, quomodo fieri possit, ut milis illa littera λ in vocabulo σκληρότης, cujus notio sit contraria, contineatur. Eorum est ista ratio, qui secundum certas philosophiae regulas et formulas aridas linguam viridam illam quidem et florentem coerceri posse existimant. Neque in minore errore versetur, qui, cum alia horum, de quibus agitur, adjectivorum in -âtus, alia in -ītus, alia in -ôtus exeant, e significatione causam quaerere velit, cur diverse finiantur. Contra ut in substantivorum et verborum litera stirpali causa inest, cur hac vel illa sive conjugatione sive declinatione flectantur, — unde recte ii, qui a- et o-declinationem

quam primam et secundam distingui malunt —, ita hic quoque ex ultima litera stirpali alicujus nominis indicatur, quam vocalem ejusmodi adjectivum ante -to suffixum habere maxime sit consentaneum. Ea adhibita ratione quae difficultates videntur sese offerre, cum sit deductum lupatus a lupo-, nasutus a naso-, eas suo loco commemorabo commemoratasque pro virili stirpe refutare studebo. Quoniam autem neque in lexicis, quibus utimur, adhuc eae appendices praebentur, in quibus vocabula suffixorum ratione habita collocata sint idque non nisi multorum opera conjuncta fore ut contingat sperandum sit, haec vero in -tus vocabula nemodum ad unum omnia collecta et disposita in medium protulerit, ego id facere haud alienum a re ratus in recta dispositione vel maximam diligentiam consumere melius duxi, quam de singulis quam plurima annotare. Neque vero, ubi res ipsa id postulare videbatur, id non feci, quoad vires hominis prima studia exercentis suffecerunt.

Quae verba a substantivis in -a desinentibus derivantur, ea, quoniam in Latino sermone debilis conjugatio in tres partes divisa est, e quibus una conjugatio vocalem a, altera e, tertia i exhibet, a-conjugatione flecti par est conjicĕre. Quod quae impugnent, non inveni [1]). Consentaneum igitur est, cum adjectiva in -tus, de quibus est quaestio, omnia, sive in -atus, sive in itus, sive in utus excidunt, idem exprimant, ea, quae a substantivis in a exeuntibus originem ducant, et ipsa, quoniam speciem praebent participii perfecti passivi, in -atus desinere. Ac re vera ex omnibus, quotcunque exstant, ne unum quidem huic rationi adversatur. Exstant autem haec:

alatus.

arenatus, calx ar. Cato R. R. 18, 7; s. arenatum significat mixturam quandam calcis cum arena Vitr. et Plin.

ansatus (cf. gehenkelt), vas a. Col., tela Enn., ansatae scil. hastae Enn. Apud Plautum in Persa [2]) Sagaristio, qui

[1]) Cf. etiam Phil. Buttmann, Griech. gr. § 119, I, 3, b (— άω. Diese Verba entstehen am natürlichsten aus wörtern der ersten decl. auf α und ης cet.) et d (— άζω und -ίζω, — die erstere endung am natürlichsten von wörtern auf α, ης, ας cet.)

[2]) Plaut. Pers. II, 5, 7 (Ritschl). Toxilus.
Set quis hic ansatus ambulat?

subnixis alis se infert, jocose ansatus dicitur, cum sic quasi speciem urcei praebeat ex utraque parte ansati.

aquatus, vinum aq. Augustin. Confess. 6. 2; Pallad; aquatius medicamentum Sen.

aquate, Plin., Val.; aquatissime Cael. Aur.

aristatus Fest. p. 137.

armillatus Suet., canes arm. i. e. collari ornati Prop. 4, 8, 24.

baccatus, Verg. Aen. I, 655: colloque monile Baccatum.

barbatus; L. Cornelio Scipioni cognomen erat Barbatus.

bigatus (cf. quadrigatus), argentum b. Liv.; s. bigatum idem quod denarius, Liv. et al.

bracatus, bracis indutus Mel. 2, 1, 10; idem quod effeminatus et barbarus Cic., Prop.; Gallia br.

bracteatus Sen, leo br. i. e. fulve comatus Sen; comae br. Mart. Cap; dictum br. id quod d. aureum Auson. Grat. Act. ad Gratian. 8; felicitas br. Sen. Ep. 115, 9.

buccellatum Ammian; Cod. Theod.

bullatus, cingulum b., Varro L. L. 5, 24, § 116; aër b. i. e. stellatus Fulgent. Myth. 1. p. 24, Muncker; idem quod bullam in collo gerens Scip. Afr. ap. Macrob; heres b. Juven. 14, 5; b. nugae Pers. 5, 19.

caligatus (beschuht) Suet. caligati (milites) i. e. ordinarii milites Suet. caligatum venire (gestiefelt und gespornt) Juven. 3, 321 Heinr.

caveatus, cavea inclusus Plin. 9, 6, 5; urbes c. Plin. 4, 8, 15.

cerussatus Cic. et al.

cetratus, c. cohortes, s. cetrati Caes., coll. cetrata cohors, s. cetrati idem quod πελτασταί Liv.

cochleatus (cf. cochleatim)[1]) cochleae instar figuratus. Pompon. ap. Non. 105, 15; 182, 14.

columnatus, columnis fultus Varr. R. R. 3, 5, 12; Plaut. Mil. II, 2, 56: Nam os columnatum poetae esse indaudivi barbaro.

[1]) Quoniam inter haec adjectiva-to- syllaba finita et adverbia -tim syllaba terminata magna est formationis similitudo, quotiescunque ab eodem substantivo deducta utraque forma invenitur, ejusmodi adverbium in -tim uncis inclusum apposui.

conchatus, conchae figuram habens (cf. cochleatus), cauda c. Plin. 10, 20, 22.
costatus, costis instructus (cf. nostrum gerippt alia notione) Varro R. R. 2, 5, 8.
crapulatus Vulg. Psalm. 78, 65,
crepidatus (cf. caligatus).
cretatus, fascia cr. Cic., Fabulla cr. idem quod cerussata. Mart. bos cr. Juven; ambitio cr. (cf. der reiche stolz eadem significatione atque der stolz der reichen) i. e. ambitio candidatorum Pers.
cristatus.
curiata (comitia), lex curiata.
disciplinatior Tert.
indisciplinatus Eccl.
dolabratus, dolabrae instar figuratus, securis d. Pallad. 1, 43, 3.
fabatus (cf. stark gezwiebelt), puls f., Fest. p. 229.
famatus (cf. berühmt contraria notione et berüchtigt). f. causa Cic. frgm. pro Scauro §. 20 Heinr; f. tonsor Licinus Schol. Cruq. Hor. A. P. 301.
defamatus, vocabula d., Gell., vita defamatissima id.
feminatus falso in lexico scriptum est.
feturatus, Tert. adv. Val. 25.
fibratus (gefasert) Priap. 51, 22.
fimbriatus, f. folia Plin., Suet.
Fimbriatus, Asin. ap. Quintil. 8, 3, 32; cf. infra Figulatus, nostrum verballhornisirt. E nominum propriorum ipsa vi liquet ex iis ejusmodi formas derivari non posse, nisi nomen proprium appellativam induat vim, ut vernaculae linguae vocabulo verballhornisirt stultissimi hominis notio inhaeret; simili modo, ut hominem significaret astutissimum et vaferrimum, Varronem satyram „Sesqui-Ulixes" vel „Sesculixes" inscripsisse accepimus [1]).

---

[1]) Plin. praef. §. 24, 12. Cf. insuper Plaut. Trin. IV, 2, 135 (verba sunt Sycophantae, qui cum Charmida colloquitur): Proin tute itidem ut charmidatu's rursum te decharmida (decharmida, sic in ed Ritscheliana), ubi jocose χάρμα notionis, quae proprie in Charmides nomine inest, ratio habetur; similiter apud Homerum.

fistulatus, tabulae f. Suet., aera Sidon. (cf. fistulatim.)
flammatus idem quod flamma armatus, Juppiter cfl., Cic. Jure hoc vocabulum ea, qua hic dicitur, vi secrevisse a verbo flammare mihi videor. Flammare enim in verbo vis inest incendendi idque et proprie et tropice dicitur, ut fax nubila flammans Val. Fl.; omnes flammaverat arrogantia Tac.; purpura flammatur e roseo vultu Val. Fl. Contra si Juppiter dicitur flammatus, id significat flamma instructus, praeditus Non minus in lingua vernacula vocabula bedacht, gemustert (ein schön gemustertes kleid), beredt a verbis bedecken, mustern, bereden omnino disjungenda sunt, cum in verbis illis tegendi, lustrandi, persuadendi vis insit, adjectiva tecto instructus, pulchris figuris ornatus, disertus significent. Falso vero toga flammata (Mart.) et facies fl. (Sen. poet.) in lexicis a verbo flammare sejuncta sunt; nihil aliud enim hoc quidem est, nisi tropice verbum dicitur.
furcillatus Varro L. L. 5, 24 extr. §. 117.
galbanatus pro effeminatus dicitur, Mart. 3, 82, 5; cf. purpuratus, coccinatus, conchyliatus.
gemmatus Ov. et Liv.
guttatus (cf. guttatim) id quod punctis instinctus.
hastatus.
hederatus, Calpurn. et al.
hostiatus, Plaut. Rud. I, 5, 12. Ergo aequius vos erat Candidatas venire hostiatasque.
infulatus Suet. et Prud.
insulatus, in insulae formam mutatus Apul. de mundo p. 73, 28.
jubatus, leo j. Plin., anguis j. Liv., stella j. Varr.
lanatus, pellis l. Col., ovis l. Ov., proverb. dii lanatos pedes habent Petron. 44, 18; vitis l. Col., folia lanatiore canitie Plin., lupus l., id.
laureatus Cic.
linguatus id quod disertus Tert. de anim. 3.

Η τάχα Ἶρος Ἄιρος ἐπίσπαστον κακὸν ἕξει, cum antea dictum esset Ἶρον δὲ νέοι κίκλησκον ἅπαντες,
Οὕνεκ' ἀπαγγέλλεσκε κιών, ὅτε πού τις ἀνώγοι.

lingulati tubuli[1]) Vitr. 8, 6, 8 i. e. lingulae instar formati
literatus, literarum notis instinctus Plaut; idem quod notatus Plaut. et Apul, id quod doctus; otimu l., Cic. Tusc. 5, 36, extr. quid est enim dulcius otio literato?
illiteratus i. e. non literatus; non literis mandatus Gell. 11, 18, 4.
perliteratus Cic. ap. Hieron. Ep. 2.
lucernatus, l. janua Tert. ad uxor. 2, 6.
mammatus i. e. tubulis instructus Plin. 35, 12, 46.
manicata tunica, Cic.
margaritatus Ven. Fort. 8, 4, 266.
manuleata tunica Plaut.; homo m. Suet.
mastichatus, m. infectus Lampr. Heliog. 19 (μαστίχη).
mastrucatus (cf. bepelzt) Cic. Provinc. 7, 15.
mentulatior i. e. majore mentula praeditus Priap. 36, 11.
mitratus (cf. tiaratus) Plin. 6, 28, 32.
musicatus cantus i. e. cantus secundum musicam institutus Apul. ad Asclep. p. 81, 33.
mustelatis peplis Apul. Met. p. 126, 22 (cf. getigert).
myrrhatus (murrhatus) Sidon. Ep. 8, 3 extr.
nasiternatus i. e. nasiterna instructus Calpurn. p. 175 Mk.
obryzatus i. e. obryza factus Cod. Just. 11, 10, 3 et al
ocreatus Hor. et Plin.
ostreatus, Plaut. Poen. I, 2, 186.
Itaque jam quasi ostreatum tergum ulceribus gestito.
paenulatus Cic., Sen.
paginatus i. e. compactus Paulin. 21, 35, 3,
paleatus i. e. palea mixtus Col. et Plin.
palmatus, palmae formae instar; paries p. Quint., cervus p. i. e. cervus, cujus cornua palmae speciem praebent; lapis p. i. e. lapis p. figura ornatus; tunica p., toga p. i. e. toga, tunica palmarum foliis picta. Liv.
parmatus Liv. 4, 39, 1.
peltatus (pelta Nep. Iphicr. 1, 4, πέλτη) Mart. et Claudian.
pennatus, Fama p. Verg., equus p. Plin., ferrum p. id.
depennatus eadem significatione Varro ap. Fulg. 561, 12.
personatus Cic.; p. felicitas Sen.

---

[1]) Cf Apul. Flor. 2, p. 346, 28. tubulatio ligulae.

perticatus Mart. 5, 12, 1.
phaleratus, equi ph. Liv., cursores Mart., turba ph. Mazycum Suet., dicta ph. i. e. bene sonora Ter. Phorm. 3, 2, 15.
pharetratus Verg., puer ph. i. e. Cupido, Ov.; virgo ph. i. e. Diana, id; Getae id.
picturatus, vestes p. Verg. Aen. III, 483: Fert picturatas auro subtemine vestes; idem quod vario colore, Claudian; Stat.
pinnatus Cic., abies folia pinnato densa Plin; Porcius Licin. ap. Gell. 17, 21: Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.
praetextatus.
purpuratus.
quadrigatus (cf. bigatus); numus qu. Liv. 22, 25. Plin. 33, 3, 13.
resinatus (a resina, ῥητίνη), r. juventus i. e. resina lita capillorum removendorum causa Juven. 8, 114; vinum r., i. e. quod resinae gustum accepit Cels. 2, 24 et al.
rosatus i. e. rosis infectus, oleum r. Seren. Samm. 34, 637.
s. **rosatum** (sc. vinum) Pallad , Lampr., Apic. (cf. **violatum**).
absinthiatum, **pulejatum**.
rubricatus (a rubrica sc. terra), rufo colore pictus, Auct. Priap. 73, 2.
rutatus (a ruta, ῥυτή, raute), lacerti r. idem quod lacerti ruta implicati, Mart. 10, 48; mustum r., i. e. ruta infectum, Plin. 29, 8, 45.
salivatum Col.
sandaracatus (sandaraca, σανδαράκη), Plin. 35, 15, 50 al.
sarcinatus, Plaut., Paul. Nol.
sculpturata ars Ven. Fort. 9, 15.
scutulatus (gegittert), scutularum in modum formatus, rete scut. (araneae) Plin. color (equi), Pallad.; s. scutulata sc. vestis, Juven. 2, 97.
soleatus Cic. et al.
squamatus, Tert. Apol. 21 (cf. **squamatim** et **squamans**).
stellatus, Cepheus st. Cic., Ov.; Argus st. Ov. I, 664 (id est multis oculis quasi stellis opertus), ensis st., i. e. splendens, Verg. salamandra, animal st. Plin., idem quod apiatus, Ov. Met. V, 461.

stolatus, statua st. Vitr., Ulixes st. Suet., st. pudor, i. e. pudor feminae proprius, Mart. 1, 36, 8.
strigatus ager, Frontin. p. 46 Goes.
tessellatum pavimentum, Suet. Caes. 46 (cf. tessellatim).
thecatus arcus Sidon. Ep. 1, 2.
tiaratus, Sidon. Ep. 8, 3.
togatus, Cic., Verg., Juven. al.
contogatus i. e. collega jureconsulti, Ammian. 29, 2, 22.
trabeatus Quirinus Ov., equites tr. Tac. tr. agmina Stat., tr. colonus i. e. consul, Claudian., domus tr. i. e. consulis, id., quies tr. i. e. consulum, Cod. Theod., trabeatae (sc. fabulae) Suet. Gramm. 31.
tunicatus Cic., Tac., al. Recte, quamquam verbum tunicare semel (Varro ap. Non. 182, 16) commemoratur, togatus adjectivum in lexicis ab illo verbo sejunctum sit. Facile enim, cum tam saepe hoc vocabulum diceretur, quod ad verbum togare videbatur spectare, verbum ipsum ex eo potuit nasci.
tutelatus, Aggen. de lim. p. 53 Goes
undatus, undarum in speciem formatus, Plin. 9, 33, 52 (cf. undatim).
ungulatus Tert. et Mart. Cap.
valvatae fores, Vitr., fenestrae v., id.
verbenatus, Suet. Cal. 27.
vertebratus, ossa v. Plin., v. dens, id.
victoriatus (sc. numus) i. e. semidenarius, Cato, Cic., al., id quod victoria paratus Tert. adv. Gnost. 6.
violatum (sc. vinum) Pallad. 3, 32 (cf. rosatum).
virgati calathisci i. e. virgis nexi, Catull. 62, 319; idem quod interundatus, sagula v., Verg., bracae v. Prop. 4, 10, 43; nurus v. Val. Fl.
virgulatus (gestreift), concha v. Plin. 9, 33, 52.
viriatus, Lucil. ap. Non. 286, 30.
vittatus, v. capilli Ov., vacca v., id., sacerdos v., i. e. virgo Vestalis, Juven.

Haec igitur adjectiva simplicissimo modo a substantivis in a desinentibus derivantur. Restant tria, quorum in explicandis formis difficultatis aliquid inest, delicatus (a deliciae), mammeatus (a mamma), securiclatus (a securicula). E quibus

in vocabulo delicatus eo magis augetur difficultas, quo pauciores ejusdem stirpis exstant voces. Sunt enim hae solae: deliciae. unde ductum esse in lexicis delicatus perhibetur, deliciolae, delicere, quod quidem semel invenitur (Titinn. apud Non. 277, 14), nonnullae denique formae, quae eadem significatione qua deliciae apud Plautum, Phaedrum, Martialem, in Inscriptionibus leguntur. Vide tamen, ne hae ipsae formae rarius illae quidem usitatae ad rem illustrandam plurimum valeant. Cum enim in iis sit delicium (Inscr., Mart., Phaedr.), facile alia nomina in easdem literas desinentia reperiuntur, ut artificium, aedificium, sacrificium, auspicium. Inter quae si forte unum vel alterum inveniatur, a quo verbum in -are derivetur, propterea ad rectam viam et rationem delicatus vocabuli interpretandi ineundam magno commodo sit, quia tota hac disputatiuncula menti obversatur in -atus vocabulorum formationem artissime cum verborum similitudine cohaerere. Jam vero exstant et aedificare et sacrificare, quae a substantivis aedificium et sacrificium, num derivanda sint, qui dubitet, certe ejusdem stirpis (aedific-, sacrific-) esse concedet. Jure igitur concludimus, qua ratione sacrificium et aedificium substantiva cum verbis sacrificare et aedificare cohaereant, eadem delicatus e deliciae substantivo esse explicandum. Ceterum huc quoque unius in -atim adverbii forma optime quadrat municipatim ad municipium pertinentis.

mammeatus i. e. magnis mammis instructus, Plaut. Poen. I, 2, 181. Quid sibi velit e litera in hoc vocabulo, mirum videatur, praesertim cum etiam mammatus omissa litera e simplici modo a mamma derivatum apud Plinium 35, 12, 46 legatur. Quaeritur, num verba in -eare a nominibus deducta sint, quorum analogiam mammeatus secutum sit. Exempli gratia haec ejusmodi verba nominare placet: alveare, confarreare; accedat caeruleatus participii speciem exhibens. Quorum tamen ratio quodammodo alia est; invenitur enim alveus et caeruleus eadem significatione qua alvus et caerulus, a far vero substantivo farreus derivatur, unde fit veri simillimum ab his in -eus formis alveatus, caeruleatus, farreatus vocabula originem ducere. Gravioris autem momenti ad quaestionem explicandam sit, quod eorundem in -atus adjectivorum in

duobus binae formae faciles ad exponendum inveniuntur, alterae in -atus ut mammatus, alterae in -eatus ut mammeatus: auratus, aureatus; testudinatus, testudineatus, quorum ad formarum differentiam aurum, aureus, testudo (testudin-), testudineus sufficiunt intellegendam. Cum vel ex iis, quae adhuc dicta sunt, appareat saepe, si praeter substantivum sive in vocalem sive in sonsonam stirpalem desinens etiam adjectivum in -eus ex illo ipso substantivo deductum exstaret, adjectivum in -atus, si quod ad idem substantivum pertineret, potius ab illo in -eus adjectivo derivatum esse quam ab ipso substantivo, interdum utramque formam inveniri; tum si etiam piceatus et coleatus (cuspis c.) e literam exhibent, quamquam notione ad pix et colis substantivorum stirpem pertinent, non ad picea et coleus, quorum notio alia facta est: liquet in -atus adjectiva saepe e literam sumpsisse ante a vocalem, si modo aliqua forma ejusdem stirpis e literam exhiberet. Quodsi in mammeatus et pelleatus vocabulis raro admodum usitatis e vocalis apparet, quamquam nec *mammeus nec *pelleus unquam leguntur, tamen has ipsas formas non abhorruisse a Romanorum aurium approbatione concludendum est, veluti nos, etiamsi nunquam antea vocem „fleischern" andiverimus, tamen in ea non offendimus, si forte legimus (cf. Georges, Lat. wörterbuch: carneus fleischern). Sic ad *pelleus et *mammeus, sive iis utebantur Romani, sive haec vocabula tantum non absona videbantur, mammeatus et pelleatus se applicant.

securiclatus (πελεκινωτός) facile e securiculatus u vocali syncopata nasci potuit, cum saepissime periclum pro periculum, saeclum pro saeculum, oraclum pro oraculum diceretur[1]).

Haec centum viginti duo vocabula in -atus a nominibus in -a stirpalem finitis derivata apud scriptores leguntur. Accedunt novem, quae non nisi cum praepositione conjuncta inveniuntur.

concatervati manipuli Ammian, 31, 13, 2.

---

[1]) Cf. Goetze, De productione syllabarum suppletoria linguae Latinae, apud Curtium Studien zur Lat. und Griech. gr. II, p. 171 vinclum, periclum, poclum, oraclum, saeclum, gubernaclum, meraclum, tabernaclum, vehiclum).

concrustatus, Ammian. 17, 7, 11 et al.

defarinatus, in farinae speciem redactus, Tert. adv. Val. 31.

displuviatum cavum aedium Vitr. 6, 3 in.

ecfeminatus, Cic. Tusc. II, 9, 21 poet.
Ecfeminata virtus adflicta occidit.

emedullatus (cf. entnervt), Plin. 22, 22, 43; virtutes em. Sidon. Ep. 8, 6.

expapillatus, usque ad papillam nudatus, expapillato brachio, Plaut. Mil. gl. IV, 4, 44.

praepilatus, in anteriore parte pila praeditus; praep, missilia Liv., Ammian., hasta p. Plin., pilum Hirt. B. Afr.; trop. praepilata rotunditas Plin.

subrotatus aries, Vitr. 10, 13, 4. Monendum est hoc adjecvum non esse compositum e participio rotatus verbi rotare cum praepositione sub. Rotandi enim notio est in circulo movere[1]).

Toti huic generi imprimis e Germanica lingua multa nomina similiter composita respondent, quae non nisi cum praepositione conuncta dicuntur, ut umrankt, verwettert, verkappt, versandet.

Restant duo adjectiva, quae non nisi cum alio certo nomine composita inveniuntur.

albiceratus, quod, cum albicerus adjectivum exstet, an ab hoc derivandum sit, dubitetur. Sane si albicerus adjectivum esset usu tritum, ut ita dicam, vix aliter explicetur; sed cum et albicerus et albiceratus apud eundem Plinium solum legantur, veri sit similius utrumque ab albo et cera directo esse deductum, ut in vernacula lingua eadem significatione schöngelockt et schönlockig, blondgelockt et blondlockig dicuntur.

De i vocali in albi cf. Boppii gramm. comp. III, p, 441, (3. ed.) §. 966 [2]).

tricameratum, Hieron. ad Jovinian. 1, 9 extr.

Ad hoc genus vocabulorum compositorum melius intellegendum memoratu dignum est, quod in Nordisca lingua major pars

---

[1]) Cf. supra ea, quae s. v. flammatus dicta sunt (p. 17).

[2]) Während das Lateinische in seinen nominalcompositen den endvocal des stammes des ersten gliedes der zusammensetzung in der regel in den leichtesten vocal i umwandelt, daher z. B. coelicola für coelŏ-cola, lani-ger für lană-ger, fructi-fer für fructu-fer, mani-pulus für manu-pulus, cet.

omnium in -dhr adjectivorum deductorum a nominibus eodem modo composita est atque albi-ceratus et tricameratum et auro-clavatus (quod quidem suo loco commemorabitur). Haec enim tria sunt sola [1]) in -dhr adjectiva simplicia:

brynjadhr, lorica indutus, (thoracatus, gepanzert), a substantivo brynja (mhd. brünne), lorica.

glyjadhr, laetus, a substantivo gly, n. gen., laetitia.

sifjadhr, cognatus, affinis, a substantivo sif, affinitas.

Cetera, quae inveniuntur, sunt composita; sunt autem haec sola [1]):

biartlitadhr, splendida facie, a subst. litr, color, facies, forma, compositum cum biartr adjectivo; (biartr idem quod splendidus).

biarthaddadhr, splendido capillo praeditus (haddr, m. significat crinem.

thrîhöfdhadhr, triceps (thrî idem quod tres).

sexhöfdhadhr [2]), sex capitibus instructus.

fiöldhhöfdhadhr, multis capitibus praeditus, a subst. höfudh, caput, compositum cum substantivo fiöldh multitudo.

langhöfdhadhr, longis capitibus praeditus vel ornatus, eadem significatione qua navis.

Iam pergitur ad ea adjectiva in -tus, quae a nominibus o-declinationis derivata sunt, e quibus tria, aegrotus, cestrotus, Nodotus, quasi o- conjugationis reliquiarum speciem praebent, cetera omnia et ipsa a vocalem ante -tus suffixum exhibent. Quae res facillima est ad explicandum. Monendum enim est a, e, o vocales sermonis Latini non minus quam sermonis Graeci ex a vocali tripartitione quasi quadam ortas esse. Quare saepissime fit, ut hae vocales inter se alia alius vicem obtineant [3]),

---

[1]) Vocabula sumpta sunt e carminibus Eddae, forsitan apud Islandiae incolas plura nunc in usu sint.

[2]) Invenitur hoc vocabulum in carmine Vafthrûdhnismâl str. 33,

fôtr vidh foeti gat
ins frôdha iötuns
sexhöfdhadhan son.

Lectio est codicis Arnamagnaïci; codicis regii lectionem serhöfdhadhan ego non intellego.

[3]) De Graeca lingua cf. G. Curtii librum, Erläut. z. Griech. schulgr., p. 25. Ausserdem aber kommen hier namentlich solche

ut dicitur ἕσπερος et ἑσπέρα, vesperus et vespera, cingulum et cingula, essedum et esseda. Maxime autem a vocalis in Latina lingua praevaluit. Itaque, ut plurima verba denominativa in -are desinunt a nominibus in -o derivata (aemulari ab aemulŏ-, aegrotare ab aegrotŏ-, aequare ab aequŏ-), vel ut dicitur atramentum (ab atrŏ-), ferramentum (a ferrŏ-) siccascere (a siccŏ-), caerulans (a caerulŏ-), punicans (a punicŏ-), praediator (a praediŏ-); sic non minus ea, quae a nominibus deducuntur, adjectiva in -tus a vocalem exhibent, quasi a verbis in -are sint deducta [1]).

Id jam ab initio memoratu dignum videtur, quod haec adjectiva etiam plura sunt, quam quae a substantivis in -a ducunt originem.

Ac primo quidem loco ea afferantur, quae ad substantiva pertinent.

absinthiatus, poculum abs., Sen. suas. de mor. Cic. 6; s. absinthiatum (sc. vinum), Lampr. (cf. rosatum, violatum).

aculeatus, Plin., ictus ac., id., literae ac., Cic. sophisma ac., Cic.

---

fälle in betracht, wie φρήν (st. φρεν), ευφρων (st. εὔφρον), εὐφραίνω (d. i. εὔφρανιω), λέων (st. λεοντ) neben λέαινα (d. i. λεαν(τ)ια), ποιμήν (st. ποιμεν), ποιμαίνω (d. i. ποιμανιω), aber auch ἅμα neben ὁμοῦ, während dere-laut hier dem Lateinischen sem-el und Altlateinischen semol (simul) vorbehalten ist. Auch οἴκαδε vom st. οἰκο, verba auf -οω von stämmen auf α, z. B. κορυφόω und umgekehrt, patronymica auf -ιαδη-ς von stämmen auf ιο, z. B. Ταλθυβιάδη-ς, abgeleitete adjectiva auf -ιακός, z. B. Πελοποννησια-κό-ς, ebenfalls aus stämmen auf ιο, finden nur hierin ihre erklärung.

[1]) De tota hac ratione licet conferre Boppii gramm. comp. III, p. 233, §. 836 (3. ed.). Nur ein vermittelungsvocal ist wahrscheinlich auch das lateinische â von wörtern wie mont-â-nus, urb-â-nus, sol-â-nus, veter-â-nus (vgl. veter-î-nus, veter-nus), Vejent-â-nus (Vejent-î-nus), oppidâ-nus, insul'-â-nus, Rom'-â-nus, Afric'-â-nus, so dass auch hier nur nŏ das wahre suffix ist, w. z. b. tŏ in cord-â-tus, sceler-â-tus, wobei wir an die neigung erinnern, die auch das secundäre suffix to hat, von einem langen vocal getragen zu werden. Man könnte aber auch die formen auf â-nus so fassen, dass sie den klassencharakter der ersten conjugation an sich trügen und denominative verbal-themen wie montâ, veterâ nach analogie von amâ, laudâ voraussetzen.

alliatum (ab allium, allio-), Plaut. Most. I, 1, 48 (Ritschl.) Sine me alliatum fungi fortunas meas.
alveatus sulcus, Cato R. R. 43, 1 (cf. s. v. mammeatus).
alveolatus, Vitr. 3, 4, 5.
amentatae hastae, Cic. Brut. 78, 271; trop. Cic. de or. 57, 242 [1]). Verbum amentare, quoad e scriptis videmus, cum apud Lucanum, Sisennam, Tertullianum inveniatur, serius quam amentatus in usu fuisse judicandum est.
anethatus, anetho infectus; jus an. Apic. 7, 6 extr.; s. anethatum eadem significatione, Apic. 6, 9.
angulata corpuscula, Cic. N. D. 1, 24, 66 (cf. angulatim); angulare semel apud Ambrosium legitur (Ep. 42).
anulatus, Plaut. Poen. 5, 2, 21; Apul. Met. 9, p. 222, 3; 234, 15.
argentatus, argento instructus; sella arg. Lampr.; milites arg., Liv.; Plaut. Pseud. 1, 3, 78:
Semper tu ad me cum argentata accedito querimonia.
inargentatus, argento indutus, Plin. et Paul. Dig.
auratus.
inauratus saepe eadem significatione dicitur; quo verbum inaurare serius usitatum (apud Vitr. et Plin.) spectat. Semel inauratus contraria notione legitur (Titinn. ap. Charis. 181 P.); est igitur hoc quidem prorsus aliud vocabulum, ortum est enim ex auratus praefixo illo in-, quod Sanscrite an-, Graece ἀν-(ἀ-), Germanice un- dicitur; in altero vocabulo inauratus in est praepositio (Graece ἐν). Eodem pertinent immaculatus i. e. non maculatus et immaculare idem quod maculare; cf. insuper s. v. illaqueatus.
obauratus, Apul. Met. 11, p. 260, 34.
subauratus anulus, Petron. 32, 3.
balanatus i. e. myrobalano infectus, Pers. 4, 37.
brachiatus i. e. ramis in modum brachiorum praeditus; arbor br. Plin., vineae br. Col.
cacabatus (cacabus, κάκαβος), id quod maculatus, Paul. Nol. Ep. ad Serv. 32, 9.
calamistratus i. e. calamistro in crispam formam redactus; cal. coma Cic., cal. saltator id.

[1]) A quo (ab auctore aliquo) cum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis viribusque torquebit.

canaliculatus i. e. canaliculi instar speciatus, can. semina Plin., can. herba id.
canteriatus, Col. 5, 4, 1.
capitulatus, capitulo instructus, cap. costae, Cels., c. surculus, Plin. (cf. capitulatim i. e. universum, Nep. et Plin.)
caseatus, i. e. caseo mixtus, Apul., cas: montes, Hieron.
cauliculatus, Apul. Herb. 90.
centratus, in medio positus, Fulg. Myth. 1, 11 extr.
cincinnatus, Cic., Plaut., al.
cirratus, c. caterva, Mart., cirrati, Pers., c. femina, Ammian., c. vestis i. e. fimbriata, Capitol. Pert. 8.
citratus, citri foliis praeditus; libri c. Plin. 13, 13, 27.
coccinatus, coccinis vestibus indutus, Suet. Dom. 4 (cf. galbanatus).
compluviatus, i. e. compluvii speciem praebens; compl. species jugationis, Varr., c. vites, Plin.
conchyliatus, conchylii colore praeditus, Cic. al.; id quod purpureis vestibus indutus (cf. galbanatus), Sen. Ep. 62.
contatus (contus, κοντός), Veget. Mil. 3, 6 extr.
coriandratum, sucus coriandri, Apic. 9, 1.
corniculata luna i. e. nova luna (cf. corniculans luna), Apul. de deo Socr. p. 41, 41.
corymbiatus (corymbion, κορύμβιον), discus c. Gallien. apud Treb. Poll. Claud. 17.
cothurnatus (cothurnus, κόθορνος), Mart., Macrob., Ov., Lact., cothurnati (opp. excalceati), Sen. Ep. 8, 7.
cubiculatus, c. naves, Sen. Benef. 7, 20.
cucullatus, velamine quodam capitis instructus, c. vestis Isidor. 19, 24, 17.
cultellatus, cultelli in modum speciatus, Plin.; idem quod vomere planatus, Frontin. de Limit. p. 43, Goes. cultratus, eodem modo atque culter speciatus; cultrato mucrone folia, Plin. 13, 4, 7.
cuminatus, cumino mixtus; c. salis aspersio, Pallad. 12, 22, 5; s. cuminatum, i. e. jus quoddam, Apic. 1, 29.
cylindratus, formam cylindri exhibens, Plin. 18, 12, 33.
denticulatus, d. falx, Col., d. forceps. Plin., d. concha, id.
digitatus, Plin. 11, 47, 107.
echinatus, stimulis quasi echini praeditus, Plin. 15, 23, 25, al.

ephippiatus, in ephippio equitans, Caes. B. G. 4, 2.
ferratus (cf. ferramentum).
praeferratus, in anteriore parte ferratus, praef. pilum, Plin., tribunus praef. i. e. catenis vinctus, Plaut.
Figulatus, Asin. ap. Quint. 8, 3, 32, Spald. (cf. s. v. Fimbriatus).
fluviatus, Plin. 16, 39, 76. No. 1.
foliatus, Plin., Apul., foliatum id quod nardinum, Juven. et Mart., sitis foliata, Mart.
gaesatus, Oros. 4, 13.
geniatus id quod genialis s. jucundus, Ov., Apul.
Geniculatus, i. e. ὁ ἐν γόνασι καθήμενος ἀνήρ, Vitr.
Ingeniculatus, eadem significatione, Vitr.
geniculatus, id quod nodis instructus, culmus g., Cic., arundo g., Plin. (cf. geniculatim).
granatus (cf. granatim), malum gr., Col., s. granatum, eadem significatione, Plin.
hamatus, hami instar formatus, Cic., munera h., i. e. ei, qui dat, profutura, Plin. Ep.
impluviatus, velut impluvium formatus; vestis impl., Plaut. Ep. 2, 2, 34.
indusiatus, indusio vestitus, Apul. Met. 2, p. 123, 9; s. indusiata, idem quod indusium Plaut. Ep. 2, 2, 47.
ingeniatus (geartet), lepide ing., Plaut., ing. ad astutiam, Apul.
intervallatus, int. febris, Gell. 17, 12 extr.; intervallato brevi tempore i. e. brevi tempore post, Ammian. 26, 1.
laqueatus, id quod implicatus, Col. 6, 19, extr.
illaqueatus, Fest. p. 84, contrarie dictum est; contra illaqueatus eodem sensu dictum atque laqueatus a verbo illaqueare est derivandum; cf. ea, quae s. v. inauratus dicta sunt (p. 26).
laserpitiatus (cf. laseratus), laserpitio infectus, Cato et Plin.
lemniscatus, palma l., Cic. Rosc. Am. 35, 100.
liciatus, id quod inceptus, Augustin. C. D. 22, 14, al.
limbatus (verbrämt), Gall. ap. Trebell. Poll. Claud. 17.
linteatus, linteo vestitus, senex l., Sen., l. legio, Liv.
loculatus, loculis instructus, Varro R. R., 3, 17, 4 (cf. loculamentum).

loratus, loris vinctus, Verg. Mor. 122 (cf loramentum Justin).
lupatus, lupi quasi dentibus instructus; l. frena, Hor.; lupati sive lupata, Verg., al.
malleatus, malleo tractatus, Col., Ulp. Dig. (cf. malleator).
malobathratus, malobathro unctus, Sidon. Ep. 8, 3, extr.
manubriatus, Pallad., Ammian.
muratus, Veget.
nimbatus, n. femina, Plaut. Poen. 1, 2, 135.
nitratus, nitro mixtus, Col., al.
numatus, id quod dives, Cic.; numatior, Apul.
ocellatus, ocellatis ludere i. e. lapillis oc. l., Suet. Oct. 83.
oculatus, oculis praeditus, oc. testis, Plaut.; oculatior, Tert.; oculi instar formatus, Solin. 17, 8; id quod περίσκεπτος, locus oculatissimus, Plin.; oculatior, Cic.; oculata die emere, i. e. numis pensis (opp. caeca die emere) Plaut. Pseud, 1, 3, 67. oculata, f., piscis quidam; Plin. 32, 11, 53, Cels. 2, 18.
oleatus, ol. puls, Cael. Aur. Acut. 2, 37 (cf. oleamentum, Scrib.).
omentatus, omento impletus, Apic. 2, 1.
orbiculatus, velut orbiculus figuratus, Plin., mala orb., Varr.
ovatus, ovi instar formatus, Plin. 15, 21, 23, al; id quod ovata puncta habens, Plin. 35, 1, 1.
palliatus.
palliolatus (palliolatim amictus Plaut. Pseud. 5, 1, 29), Mart. 9, 33, Suet. Claud. 2, Vopisc. Bonos. 15.
pampinatus, Trebell. Poll. Claud. 17; pampinorum in modum formatus, orbis p., Plin. 16, 42, 82.
patagiatus, Plaut. Epid. 2, 2, 47 (patagium, παταγεῖον).
patibulatus, patibulo infixus, Plaut. Most. 1, 1, 53 (cf. guillotinirt).
perpendiculatus, i. e. directus, Marc. Cap. 6, §. 593.
petasatus; Cic. Fam. 15, 17, 1. Suet. Oct. 82.
pigmentatus, Eccl.
pilatus (pilum) Verg. Aen. 12, 121.
pileatus, Liv., Mart., Sen; plebs pileata, Suet. Ner. 57; Liv.
podismatus (podismus), Frontin. de colon. p. 132 Goes.

praediatus, Apul. Flor. 2, p. 349, 40; id quod dives (begütert), Mart. Cap. 1, §. 46.
praeputiatus, Tert. adv. Marc. 5, 9.
impraeputiatus, eadem significatione, Tert. de monog. 11.

Duas vias inter se diversissimas lingua ingressa est, ut his duobus vocabulis forma videlicet diversissimis eandem tribueret vim. Impraeputiatus enim ita ortum est ut omnia ea adjectiva in -tus (to-), quae non nisi cum praepositione conjuncta inveniuntur, ut defloccatus, emedullatus (entnervt); quibus qui utitur, ejus animo obversatur quasi idem adjectivum seclusa praepositione et ea vi, ut significet exempli gratia floccis, medulla, praeputio praeditus, praepositionibus e, de, in notio fit contraria. Contra in constituenda vi praeputiatus nominis ea valuit ratio quamvis mirifica, quae nonnunquam obvenit, ut verbum simplicissimo modo a nomine aliquo derivatum vim obtineat privativam, ut est in vernacula lingua in verbis köpfen, häuten, holzen, schälen, quae non exprimunt capite, cute, ligno, corio instruere, sed privare aliquem. Ad ejusmodi igitur verbum etiam praeputiatus spectat.

pulejatus i. e. pulejo conditus, p. porca, Veget. de re vet. 3, 76; s. pulejatum (sc. vinum) Lampr. Heliog. 19 (cf. rosatum).
pulvinatus, quasi pulvino instructus i. e. convexus, calyx p. i. e. nucis, Plin.; p. labrum scrobis id., p. capitula columnarum, Vitr.; p. columnae id.
purpurissatus, purpurisso fucatus, buccae p. Plaut. Truc. 2, 2, 35, genae, Apul. p. 323, 13; facti p. i. e. fasti consulares, Sidon. Ep. 8, 8. racematus, Plin. 18, 7, 10, no. 3.
reticulatus, reticuli modo formatus, fenestra r., Varr., genus r. structurae, Vitr. (cf. reticulatim.)
rostratus, falx r., Plin.; navis r., Cic., columna r., cf. Aeneid. l. VIII, v. 684: (Agrippa), cui, belli insigne superbum, Tempora navali fulgent rostrata corona, corona r. Plin. 16, 4, 4.
sagatus, Cic., al.
sagulatus, Suet. Vitell. 11.
sapphiratus (sapphirus, σάπφειρος), Sidon. Ep. 2, 10, carm.
scalpratus, scalprum veluti formatus, Col. 9, 15, 9.

scamnatus, ager sc., i. e. sulcis quasi scamnis instructus, Aggen. p. 46 Goes.
scutatus, sc. cohortes, Caes., manus sc. Sil., scutati Liv. 28, 2, 4.
segmentatus i. e. segmento laminae limbatus; cunae s., Juven. 6, 89, amictus s., Symm. Ep. 4, 42 extr., paginae Tulliano segmentatae auro, id. 3, 12.
semicirculatus (semicirculus), Cels. 7, 26, 2.
sericatus, serico indutus, Suet. Cal. 51.
sertatus, Mart. Cap. 5 in. §. 426.
sigillatus, sigillis ornatus, s. scyphi, Cic., putealia s. id.
sistratus, Mart. 12, 29, 19.
soccatus, Sen. Benef. 2, 12, extr.
specillatus, patina sp., Vopisc. Prob. 4.
speculatus, Suet. vit. Hor. extr.
spleniatus (bepflastert), Mart. 10, 22, 1 (splenium, σπλήνιον).
stadiatus, Vitr. 5, 11, 3.
stamniatus, v. s. v. staminatus,
stagnatus, id quod stannatus, stanneus (stagneus), Plin. Val. 1, 31.
testiculatus, Veget. 4, 7, 2.
tintinnabulatus, Sidon. Ep. 2, 2.
tribulatus, in tribuli modum acutatus, tr. falciculae, Pallad. 1, 43, 3.
tropaeatus, tropaeis ornatus, Ammian. 23, 5, 17.
tubulatus, rostrum t. Plin., transitus t. i. e. cavus, Plin. Ep.
tutulatus Enn.
umbilicatus, umbilici in speciem formatus, Plin 13, 4, 7.
uncatus. Cael. Aur. et Sidon.
obuncatus, Cael. Aur. Tard. 2, 14.
uncinatus, Cic. Acad. 2, 38 extr.
unguentatus, Plaut., Catull.
vermiculatus, foramina exhibens a vermiculis puncta; variis et multis punctis praeditus, Plin., emblema v. Lucil. ap. Cic.
vermiculate, Lucil. ap. Quint. 9, 4, 113.
veruculatus, veruculo instructus, Col. 2, 20, 3.
viaticatus, Plaut. Men. 2, 1, 30.
vinculatus, id quod vinctus, Cael. Aur. et Mart. Cap.
viratus, ut virum decet animatus, Varr. ap. Non. 187, 15.

viscatus, visco litus, virga v., Varr. R. R. 3, 7, 7, Ov. Met. 15, 474, alae v., Ov. A. A. 391, manus v. Lucil. ap. Non. 4, no. 271 et 428, munera v., i. e. munera, quibus, qui dat, commodum se adepturum sperat, Plin. Ep. 9, 30, 2; cf. s. v. hamatus; beneficia v. Sen. Ep. 8, 3.

In unius vocabuli paludatus forma explicanda magna videtur inesse difficultas; significat enim paludamento indutus. Itaque rectius aliquis formam *paludamentatus sibi exspectaverit, ut omentatus ob omentum, pigmentatus a pigmentum, segmentatus a segmentum deducuntur. Sed cetera omnia, quae exstant, vocabula in -amentum aut a verbis in -are derivata sunt, ut annotamentum, aut a nominibus ita, ut ad stirpalem literam nominis amentum adjiciatur, quasi verbum in are exstet, ut formamentum a forma, calceamentum a calceus, aeramentum ab aes (aer-) sunt derivata. Quorum substantivorum numerus cum sit paene ingens, jure, opinor, concludamus, quoniam paludatus vocabuli „nominis et originis causa incerta est", hujus ipsius vocabuli formam ad illorum analogiam esse ortam, quasi a stirpe palud- addito usitatissimo illo -amentum.

Sequuntur undecim vocabula, quae non nisi cum praepositione quadam conjuncta leguntur (cf. supra concatervatus etc.).

deacinatus, acinis purgatus, Cat. R. R. 26.

defanatus, Arnob. et Inscr.

defloccatus, floccis vacuus, jocose idem quod calvus, Plaut. Epid. 5, 1, 10.

exalburnatus, alburno vacuus, robur alb., Plin. 16, 40, 76. §. 204.

excuneatus, cuneo repulsus, Apul. Flor. 3, p. 353, 37.

expalliatus, Plaut. Cas. 5, 3, 6.

expeculiatus, Plaut. Poen. 4. 2. 21.

infumatus[1]) (in, ἐν praepositio conjuncta cum fumus substantivo), cerebrum inf., Plin.

inoppidatus, oppido carens, Sidon. Ep. 5, 13.

oppessulatus (pessulo clausus), opp. janua, opp. fores, Apul., opp. foris, Ammian.

In fumare verbo est notio fumi dimittendi.

Commemorandum est praeterea unum adjectivum cum nomine compositum,

auroclavatus. De o vocali in fine prioris partis hujus compositi, cf. Boppii gramm. comp. III. p. 441, §. 966.[1])

Quae supra dicta sunt ad explicandam rationem formationis in -atus adjectivorum derivatorum a nominibus in -o desinentibus, haec in eorum adjectivorum explanatione, quae eodem exitu literarum a nominibus in consonam literam stirpalem exeuntibus deducuntur, non valent. Quaeritur igitur, quomodo factum sit, ut saepissime etiam in his nominibus ante-tŏ suffixum a litera appareat. E stirpe ipsa ejus nominis, cui tus (tŏ-) suffixum conjungitur, explicari certe non potest. Itaque confugiendum videtur ad analogiam, si non explicatricem, adjutricem tamen illam omnium, quae instituuntur, quaestionum, imprimis autem earum, quae in lingua quavis habentur, quippe cum iterum atque iterum appareat linguam permulta per analogiam ex se ipsa, ut ita dicam, parere. Saepissime enim, ut id statim promam, quod huc pertinet, fit, ut certa quaedam suffixa, si imprimis cum vocabulis in certam literam stirpalem desinentibus conjunguntur, ita cum hac litera quasi coalescant, ut inde novum quoddam suffixum prodire videatur. Cujus rei cum multa exempla afferri possint, satis habeo nonnulla commemorare, quae adhuc minus observata sunt. E substantivis in -mentum, quae multa a verbis, multa a nominibus ducuntur, cum magna pars a verbis a-conjugationis deduceretur, unde substantivorum forma in -amentum facta est, ut delectamentum, hortamentum, cruciamentum, tam usitata mox fuit hic literarum complexus, ut etiam aeramentum, auctoramentum, nucamentum, pedamentum diceretur. Eandemque intelleges rationem, si cum adjumentum, argumentum, instrumentum substantivis albumentum

---

[1]) In albŏ-galerus, albŏ-gilvus, merŏ-bibus hat sich der endvocal des stammes in der form erhalten, welcher dem dat. abl. sg. und gen. acc. pl. zum grunde liegt. — Est illa vocalis stirpalis, qua omnia eadem declinatione flexa nomina finiuntur; unde nomen o-declinationis. Addi potuerunt ad illa nomina a Boppio allata A(h)eno-barbus, malo-granatum, melo-folium (μηλο), multa insuper composita a meso- incipientia (e Graeca lingua assumpta) neque minus quae a mimŏ- et quae a monŏ- incipiunt, nostrum denique vocabulum aurŏ-clavatus.

(Veget. Vet. 2, 57), integumentum, offerumentum (Plaut. Rud. 4, 4, 47) comparaveris. Neque aliter explicandum puto, quod etiam a substantivis in consonam stirpalem exeuntibus adjectiva in -atus neque ea pauca originem ducunt. Sunt haec:

absidatus, fornicis figuram exhibens, (absis,[1] ἀψίς) idem quod segmentum circuli), P. Victor.
aceratus, acere mixtus, lutum ac., Fest, ac. cochleae Plin. 30, 6, 15.
adīpatus, ad. panis, ad. puls, Lucil. ap. Charis. 73 sq. P; s. adipatum (sc. edulium), Juven. 6, 630.
aeratus.
obaeratus is dicitur, qui aes alienum conflavit, Liv. Caes.
subaeratus, i. e, intus aeratus, aurum aer. Pers. 5, 106.
aluminatus, aqua al. Plin. 31, 6. 32, Marc. Emp. 25.
exaluminatus, aluminis colore praeditus, Plin. 9, 35, 56.
apiatus, idem quod punctatus (Franco-Gall. moucheté), mensa ap., Plin. 13, 50, 30 Hard.
apicatus, Ov. Fast. 3, 397.
assaratum. Paul. Epit. p. 16. assaratum apud antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino et sanguine temperatum, quod Latini prisci sanguinem assir vocarent. Gl. Lab. asser αἷμα, Pott, E. F. 113, Kuhn, Ztschr. II., 137; G. Curtius, Grundz. d. Gr. etymol. p. 369, nr. 609.
bituminatus, aqua b., Plin. 31, 6, 32.
caloratus, Apul. et Fulg.
capitatus, clavulus c., Varr., c. caepa, Plin., vinea c., i. e. vinea in superiore parte densior et magis arboris quam fruticis speciem praebens, Col.
cardinatus, tignum c., Vitr. 10, 15, 4.
intercardinatus,[2] int. trabes, Vitr. 10, 14, 2.
carnatus, i. e. crassus, Cael. Aur. Tard. I., 4, no. 5.
characatus (χάραξ, χαρακ-), Col.
chlamydatus (chlamys, chlamyd-, χλαμύς, χλαμυδ-, Plaut. et Cic.
cordatus[3] (beherzt) bene c. Enn. ap. Cic., cordatior, Lact.

---

[1]) Legitur forma absida apud Paul. Nol. Ep. 32 ad Sever. 17.

[2]) interordinatus, Schneid.

[3]) De significatione vocabuli cordatus confer Ciceronis ipsius verba, Tusc. I., 9, 18. Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo ex-

corticatus, Pallad., pix c., Col.
cycladatus (cyclas, cyclad-, κυκλάς, κυκλαδ-). Suet. Cal. 52.
dentatus (dantita-s, ὀδοντιωτός, gezähnt), Ov., Plin.; praegn. vir d., Plaut., bestiae d., Ammian.; id quod dentium formis praeditus, serrula d. Cic., serra d. Plin., crates d., id; rastrum d. Varr., id quod dente laevatus, Cic. Qu. Fr. 2, 15, 6.
eburatus, ebore ornatus, Plaut., Lampr.
faecatus, vinum f., Cato R. R. 11, 4.
effaecatus, faecibus purgatus, i. e. purus, voluptas eff., Apul. doctr. Plat. II., p. 22, 37.
falcatus, falcibus instructus, quadrigae f., Liv., al., formam falcis exhibens, Ov., Plin., sinus curvos falcatus in arcus, Ov.
farratus, farre vel cibo e farre facto impletus, olla f. Pers. 4, 30; omnia farrata Juven 11, 109.
filicatus. ornamentis filicis forma praeditus, paterae f., lances f., Cic.
foederatus,[1]) foedere conjunctus, Cic., Nep. (verbündet).
foraminatus, Sidon. Ep. 2, 2.
frontati (sc. lapides), Vitr. 2, 8, 7.
fuliginatus, Hieron. Ep. 10 (beruszt).
gummatus, Pallad. 11, 12, 6, (gummi, κόμμι).
laqueatus, Hor. Cic.
laseratus idem atque laserpitiatus, Plin. Val. 1, 21.
liquaminatus, Apic. 8, 7.
mucronatus Plin.
muricatus, muricis in formam speciatus, Plin. 20, 23, 99; id quod timidus, Fulg. Myth. I, p. 8 Munk. (cf. muricatim).
nivatus, potio, n. Sen., aqua n. Petron.
odoratus, od. cedrus, Verg., od. capilli, Hor., Ov., anhelitus oris, id., flores odoratissimi, Plin., Indi od., Sil., Armenii od., Tibull.
papaveratus, papavere in candidum colorem redactus, p. toga, Plin. 8, 48, 74.

---

cordes, vaecordes concordesque dicuntur et Nasica ille prudens bis consul Corculum et

Egregie cordatus homo catus Aelius Sextus.

[1]) foederare idem quod foedere sancire, Hieron.

peronatus, Pers. 5, 102.
piperatus, Col. et Petron., s. piperatum, i. e. jus p., Cels., Apic., trop. idem quod mordax, facundia p. Sidon.
proportionatus (proportionirt), Jul. Firm. 4, 13.
pyramidatus, pyramis velut formatus.
pyxidatus, pyxidis in formam factus, Plin. 31, 6, 31.
saporatus, s. cibus, Auson., saporatior sanguis, id.
sardonychatus, sardonyche ornatus, (sardonyx, sardonych-, σαρδόνυξ, σαρδονυχ-), Mart. 2, 29, 2.
solatus, sole nimis tactus, Plin. 29, 6, 38.
staminatus,[1]) e staminibus constans, Petron. 41, 12.
stuporatus, gloria st. Tert. de cultu fem. 3.
suminatus, suminibus praeditus, sus s., Lampr. Alex. Sev. 22, caro s., Arnob. 2, p. 92.
syringatus, i. e. cavatus, haedus s., Apic. 8, 6.
teporatus, i. e. tepefactus, Plin. 36, 26, 66.
testudinatus, Col. et. Vitr., cavaedium t., Vitr. (cf. testudineatus).
thoracatus (thorax, thorac-, θώραξ, θωραχ-), Plin. 35, 10, 36, §. 69.
torquatus, miles t., Veget. Mil. 2, 7, extr., Manlius T., Cic., Liv., Alecto t. colubris, Ov. Her. 2, 119, palumbus t., Mart. 13, 66.
turbinatus, turbinis i. e. coni in formam acutatus, Plin., turbinatior figura, id.
vasatus, i. e. mentula instructus, Lampr. Heliog. 5.

amussitatus[2]), secundum amussim factus, i. e. perfectus, e vocabulo amussis eodem modo ortum est atque verbum nobilitare e nobilis adjectivo; cf. insuper e Franco-Gallorum lingua verba faciliter et féliciter. De pelleatus adjectivo, quod idem valet atque pellitus, vide s. v. mammeatus.

Non nisi cum praepositione conjuncta haec exstant vocabula ad consonantes nominum stirpes pertinentia:

concineratus, Tert. Pudic. 13.
decineratus, omnino in cinerem commutatus, Tert. adv. Valent. 32.

[1]) al. stamniatus (σταμνίον).

[2]) Plaut. Mil. gl. III, 1, 38: Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles.

decervicatus, cervice i. e. capite privatus, Sidon. Ep. 3, 3.
elapidatus, lapidibus vacuus, Plin. 17, 4, 3, al.
expudoratus, pudore carens, frons exp., Petron. 39, 5.

Quantopere a vocalis cum suffixo -tus (to-) coaluerit, inde cognosci potest, quod non modo cum nominibus tertiae, quae vulgo vocatur, declinationis, sed etiam cum quartae, quae rectius u-declinationis nomen obtinet, nominibus -atus conjungitur. Idque in substantivis in -u stirpalem exeuntibus duplici modo factum est. Altera enim -atus suffixum, ut sic breviter dicam, merae stirpi adjungunt, altera, quod mirum videatur, u vocali ejecta. Cujus quidem rei quae sit ratio, antequam excutiam, singula vocabula nominatim afferam, ut melius perspici possit, quantus utriusque generis sit numerus. Ad meram stirpem nominis id est ad vocalem u syllabae -atus in hisce vocabulis applicantur:

arcuatus, a. currus, Liv., a. curvamen, Ov., a. opus, i. e. fornices, Plin. Ep., a. sellula, Arnob., arquatus, Varr. et al., morbus a. Cels.
artuatus, Jul. Firm. Math. 6, 31.
manuatus, Mart. Cap. 4, §. 378.

Ejecta vocali u haec in -atus adjectiva inveniuntur:

gradatus, Plin. maj. et min.
regradatus, mensis r., i. e. mensis intercalando in priorem ordinem redactus, Solin. 1.
sensatus, Jul. Firm. et Vulg.
insensatus, Eccl.

Jam vero duae quaestiones exsistunt, altera, quomodo omnino factum sit, ut u litera ad stirpem pertinens ejiceretur, altera, cur in altera parte nominum reservata sit, in altera ejecta. Utriusque rei causa ab eodem fonte est repetenda. Notissimum enim est eorum, quae in flectendo ἀνώμαλα dicuntur, rationem praecipue in eo versari, ut idem substantivum vel adjectivum alias formas ab alia declinatione repetat; ut a- et e-declinationum casus vel omnes in nonnullis vocabulis utrique declinationi se applicant, unde dicitur materi**es** et materi**a**, materi**em** et materi**am** cet. Maximam vero similitudinem stirpes in -i et in -u desinentes exhibent, quippe quae vocales multa inter se

similia[1]) habeant, quare a doctis viris iis commune nomen inditum est.

Ut enim in multis nominibus consona stirpali terminatis in quibusdam casibus i vocalis stirpi se adjungit, ut dicatur diligentium pro diligentum, amantium pro amantum, ita in aliis i vocalis ad stirpem pertinens in iis casibus non exhibetur, in quibus nulla causa, cur ejecta sit, invenitur; itaque mens, sors, fors dicitur pro *mentis, *sortis, *fortis; elisa enim vocali i t consonam ante s literam secundum leges euphonicas linguae Latinae evanescere necesse erat. Quid? quod in multis nominibus utraque forma exstat? Adde, quod in Latina lingua prorsus alia lex in componendis vocabulis valet atque in Sanscrita, in qua paucis exceptis vocabulis prioris partis compositi ea est forma, quae est stirpalis. In Latina vero lingua longe plurimorum vocabulorum, ubi in priore parte compositi locata sunt, vocalis in extremo loco stirpis posita in debiliorem vocalem ĭ mutatur; quare agrĭ-cola dicitur et fructĭfer et terrĭgena pro *agrŏ-cola et *fructŭ-fer et *terră-gena. Quae cum ita sint, facile agr-, fruct- terr- pro veris stirpibus putabantur, quippe qui literarum complexus, ut ita dicam, soli intacti remanerent, idque ipsum in plurimarum declinationum formas cadit. Jam vero in ipsa u-declinatione res quodammodo alia esse videatur. Ad eam enim quae se applicant nomina, eorum in nonnullis certe u vocalis per omnes casus servatur, ut in quercus, ficus, arcus, artus substantivis; longe vero plurima nomina u stirpali finita in una forma, quae quidem duorum casuum vice fungitur, dativi et ablitivi pluralis numeri, pro u vocali debiliorem i exhibent. Hac ipsa in re causam iuvenisse mihi videor, cur dicatur arcuatus et artuatus, contra gradatus, regradatus, sensatus, insensatus. Quamquam enim ne a quercu-, ficu-, arcu-, artu- quidem substantivis derivatae desunt formae, in quibus u litera non sit exclusa, tamen in majore parte nominum ad eas stirpes pertinentium est servata[2]), ut

[1]) quod etiam ex aliis linguis cognoscitur; cf. G. Curtius, Erl. zur Gr. schulgr. Cap. 2, p. 24.

[2]) conf. a) arcuari, Plin. 29, 6, 39; arcuballista, Veget. Mil. 2, 15; arcuballistarius, ibid. 4, 21; arcuatio, Frontin. Aquaed. 18, arcuarius, fabrica arc., Veget. Mil. 2, 11; Tarr. Pal. Dig. 50, 6, 6; arcuatim, Plin., Fest.
b) arcipotens, Val. Flacc. 5, 17; arcitenens.
artuatim, Jul. Firm. Math. 7, 1.

inde cognoscatur in his substantivis u vocalem firmius, ut ita dicam, inhaesisse quam in plurimis aliis. At licet concessum sit sic arcuatus et artuatus vocabula expediri, restat tamen adjectivum manuatus u vocalem exhibens, quamquam dativus pluralis numeri est manibus. Sed in hoc adjectivo formando, quod non plus semel legitur idque apud Martianum Capellam, videtur praevaluisse, quod omnia alia nomina a manu- derivata u literam retinent.[1])

Contra praeter gradus ipsum ne unum quidem extat nomen, in quo gradu- stirps appareat, duo sola, in quibus sensu- invenitur, sensualis et sensualitas, alterum, ut est in lexicis, apud Apulejum et apud Ecclesiastas, alterum semel apud Tertullianum. Sed multa cum utroque vocabulo cognata nomina exstant, quae u vocalem non habent.[2]) Quorum ad rationem gradatus, regradatus, sensatus, insensatus se applicant.

Quod etiam a nominibus in e exeuntibus nonnullis adjectiva in -tus (-tŏ-) ita derivantur, ut pro e stirpali a vocalis appareat, id eo minus est mirandum, quod etiam in flectendis multis nominibus duae quasi stirpes, altera in -a desinens, altera in -e videntur exstare, ut e materia et materies, barbaria et barries, mollitia et mollities formis liquet. Adde, quod multa suffixa a litera cum iis nominibus conjunguntur, etiamsi ejus substantivi in -e altera forma in -a non invenitur, ut aequidianus, meridianus. Imprimis vero magni momenti ad formanda in -atus vocabula certe fuit, quod etiam verba in -are ab eodem genere substantivorum deducuntur, ut effigiare.

[1]) cf. manualis, manuarius, manuballista, manuballistarius, Veget., manubius quaeque ab eo deducta sunt nomina, manulea, et quae ab hoc derivata sunt, manupretium, manutigium.

[2]) cf. gradatim, Cic. et al., gradatio scalarum Vitr. 5, 3, 3; grad. sc idem significans atque κλῖμαξ, Cic., Quint., gradilis, Ammian 23, 1, 6; gradalis, Diom. 473 P., gradarius, Lucil. ap. Non. 17, 24, Sen. Ep 40, 11.

sensibilis, Vitr, Sen.; sensibilitas, Non. 173, 14; 526, 22; sensibiliter, Arnob. 7, p. 294; sensiculus, Quint 8, 5, 14; sensifer, Lucr. 3, 141 et al.; sensificare, Mart. Cap. 9, §. 908; sensificus, Macrob. Sat. 7, 9, sensilis, Lucr. 2, 887; 2, 901; sensim

Sunt autem illa in -atus vocabula duo sola:

caesariātus Plaut., Tert; idem quod foliis praeditus Apul. de mundo, p. 67, 37.

speciatus (cf. speciatim), Tert. adv. Hermog. 40.

inspeciatus, substantia insp. Tert. adv. Valent. 10, extr.

Minor est numerus adjectivorum eadem vi suffixo -to- a substantivis derivatorum, in quibus i vocalis ante suffixum apparet. Ratio autem est simillima. Ut enim illa in -atus adjectiva quasi participia perfecti passivi verborum in -are videntur esse, cum a vocalis sit producta, ita haec quoque nomina, ut crinitus, maritus, ignitus, velut participia ad verba in ire pertinentia intueri nobis videmur, idque eo magis, quod a stirpibus nominum in i vocalem desinentibus haud pauca verba in -ire deducuntur, ut lenire, mollire. Major pars horum in ītus vocabulorum, a nominibus i-declinationis originem ducit. Quorum ad analogiam, quippe cum saepissime i-declinationis et consonantis declinationis formae inter se misceantur, nonnulla a consona stirpe deducta nomina in -to formata sunt.

Ea adjectiva, quae -itus syllabis a stirpibus i litera terminatis derivantur, sunt haec:

auritus (cf. langgeöhrt).

inauritus, contraria significatione, Gell. 7, 6, 1.

ignitus[1]) (a stirpe igni, Sanscrite agni-), ferramentum ign., Cels., vinum ign. (feuriger wein), Gell., ingenium ign. Prud.

pellitus, Sardi p. Liv., oves p., Hor. et Varr.; testes p. Cic.

penitus, ortum Pottio auctore explicare licet e *pes-ni-tus; penis enim est factum e pes-ni-s; conferendum est e lingua Sanscrita pas-as eadem significatione, Lituanicum pis-à (pyz-dà), id quod cunnus, pis-ti, coire cum muliere. Ceterum vide G. Curtius, Grundz. der Griech. etymol. p. 255 (3. ed.); offa penita, Plaut. et Arnob.

ratitus (ra- ti- tŏ-)[2]), i. e. imagine ratis inscriptus, Fest.

turritus (cf. πυργωτός). Ad formam turri- proxime accedunt τύρ-σι-ς, τύρ-ρι-ς; moenia t., Ov., puppes t., Verg. elephanti t., Bell. Afric., t. dea, i. e. Cybele, Prop., Berecynthia mater

[1]) Verbum ignire legitur apud Prud. περὶ στεφ. 10, 1078.

[2]) Cf. Georg Curtius, Grundz. d. Gr. etym. p. 320 (3. ed.) no. 492.

t., Verg.; idem quod turris speciem praebens, scopuli t., Verg., corona t., Lucan., caput t., vertex t., Eccl.

Triturrita erat nomen villae in ostio Arni fluminis sitae.

corbita vocabulum quo modo sit explicandum, ego indagari non potui.

Unum vocabulum cum praepositione semper conjunctum est:

recutitus, i. e. praeputiatus, Petron., Judaei r., Mart., rec. sabbata, i. e. sabbata Judaeorum, Pers. 5, 184; id quod tonsus, r. colla mulae, Mart. 9, 58, 4.

Haec in ītus adjectiva a consonis stirpibus derivata sunt:

fellitus[1]), sapor f., Avien. Epigr. ad Flavian. Myrmec.

mellitus (mell-ī-to)[2]), favus m., Varr. placenta m. Hor., sucus m., Plin.; id quod dulcis, suavis, oculi m. Catull., savium m. Apul., mellitissimum savium, id.

maritus.

patrītus, Apul. et Arnob.

fortuitus vero ortum est a fortu; fortu- autem eodem modo e fort-[3]) provenit atque gradu- (s. gradus nominativa forma) a radice grad-, quae exstat in verbo gradi.

Difficiliora ad explicandum sunt vocabula in ītus orta a nominibus in o vocalem exeuntibus:

avitus, bona paterna et avita Cic., al.

adv. avite, Tert. adv. Valent. 39.

proavitus, pr. regna, Ov., rura pr., Stat.

galeritus (a galerŏ-, nom. galerus et galerum), Prop., gal. avis (alauda cristata L.), Plin., s. galeritus (sc. ales), idem significans, Varr.

cerritus, quod contractum esse e cerebritus quibusdam placet; ex quo orta est deminutiva forma

cerritulus, Mart. Cap. 8, p. 272.

Quaeritur, quomodo factum sit, ut i ex o vocali oreretur, deinde, si id explicatum sit, cur omnino ītus diceretur pro âtus

[1]) fell- idem quod χολο-, χολα- (χολή); Curtius felli- pro felti- accipi vult, cui repugnant Leo Meyerus, Zeitschr. V., 379, Corssenus, Krit. beitr., p. 318.

[2]) cf. G. Curtius, Grundz. d. Gr. etym., p. 308 (3. ed.), no. 465; Corssen, Krit. beitr., p. 327.

[3]) fort- enim facile pro stirpe hujus vocabuli putabatur, qua de re cf. ea, quae supra dicta sunt (p. 38).

syllabis multo magis usitatis. Ad posteriorem quaestionem non habeo, quod respondeam, prioris explanatio facilior est. Etenim cum in Graeca lingua fere nunquam a vocalis in i vel â in î mutetur, hujus ipsius mutationis in Latina lingua non ita rara sunt exempla.[1]) Attamen hoc loco res ideo quodammodo aliter se habet, quod in vocabulis avitus, proavitus cet. non de compositione aliqua cum verbo vel alio vocabulo agitur, sed de suffixi cum nominali stirpe conjunctione. Quam quidem ad rem explanandam haud mediocris momenti sit, quod etiam ante -lis, -nus suffixa, quas primitivas esse formas neque vero -âlis, -îlis, -ânus, -ênus recte Boppius aliis linguis comparatis conclusit[2]), aliquoties i invenitur, ubi illa suffixa cum nomine aliquo o-declinationis conjunguntur, ut est equînus, puerîlis. Plus tamen valet, quod etiam in iis suffixis, quae a t consona incipiunt, nonnunquam i apparet, quamquam a vel o vocales exspectamus. E quibus propter productam vocalem i huc imprimis spectant adverbia proprîtim et virîtim. Etsi in propritim adverbio i vocalem literam r sequentem viguisse ad itim terminationem formandam facile aliquis conjiciat, id in viritim adverbio non licet. Eodem igitur modo avitus, galeritus, ceritus sese expediant. Ceterum cf. de mutatione a vocalis in i literam Leonis Meyeri de vocalibus Graeco-Latinis disputationem apud Benfejum, Or. und Occ. I., p. 91.[3])

---

[1]) Non alienum sit hoc loco in memoriam revocare etiam in Sanscrita lingua nonnunquam a in i et â in î mutari. Maxime vero huc quadret, quod, cum in lingua Sanscrita nomina saepe cum kr., bhû, as verbis conjungantur, eorum, quae in a literam desinunt, haec vocalis in î vocalem mutatur, unde e çukla et kr. fit çuklîkaroti.

[2]) Cf. Bopp, Vgl. gr. III, p. 233 (3. ed.), §. 836.

[3]) Wie das a sehr oft, namentlich im Lateinischen, meist deutlich durch die mittelstufe von e, zu i geschwächt wurde, so weist hie und da auch das î auf alten a-laut zurück, und dasz auch hier als mittelstufe wohl das ê vorkömmt, ist in die augen springend in dêlînîre neben dêlênîre, besänftigen, lênis, sanft, milde, und bildungen wie vîcînus, benachbart, neben aliênus, fremdartig, und ähnlichen, wo im letzteren falle das ê neben dem i bewahrt blieb. Auch in virîtim, mann für mann, einzeln, haben wir das î, wo die grundform (viro-, urspr. vira-, mann) einen a-vocal hatte; ganz ähnlich wie in juvenîlis, jugendlich, neben dem das gleichbedeutende juvenâlis die ältere vocalform fest hielt. Noch mögen hier genannt sein πίνω, ich trinke, woneben das perfect πέπωκα, ich trank, mit seinem ω noch auf das alte â weist, wie wir es im Altindischen pâtum, trinken haben; ῥῑν-, nase, das dem Altind. ghrâná- entspricht, cet.

Plura in -utus quam in -atus adjectiva a nominibus in -u stirpalem exeuntibus ducunt originem. Hic quoque u litera producta non aliter est explicanda, nisi ut participiorum perfecti passivi ad verba in -uere pertinentium analogiam hae formae sint secutae, ut exutus, imbutus, argutus.

Derivata sunt a substantivis in -u desinentibus haec in -utus adjectiva:

actutum (actu-), idem quod statim, Plaut.,[1]) Ter., al. Forma neutrius generis adverbii vices eodem modo suscepit ut postremum, primum cet.
astutus (astu-), Cic. et al.
astute, Cic., astutius, Varr., astutissime, Gell.
Inde ducuntur: astutulus, Apul. Met. 6, p. 184, 29.
astutia.
cinctutus (cinctu-) Ov.; Hor. A. P. 50:
(fingere cinctutis non exaudita Cethegis.)
cornutus (gehörnt), Varr. et al., c. syllogisma, Hieron.
tributus (tribu-).
versutus (versu-), versute; deducta sunt ab hoc adjectivo: versutia, versutiloquus.
verutus (veru-) Verg. Ge. 2, 168.
verutum n., id quod veru, Caes. B. G. 5, 43.

Apposui vocabulis cinctutus et versutus cinctu- et versu- stirpes, a quibus deriventur. Neque enim intellego, cur Corssenus (Krit. beitr. p. 517) cinctutus et versutus adjectiva a cincto et verso- quam a stirpibus in u, quae re vera exstant, deduci maluerit.[2])

Duo sane vocabula ad nomina o-litera finita referenda sunt:

nasutus; etiam nasute legitur apud Phaedrum et apud Senecam

et hirsutus ab hirso- pro hirto- (cf. Pott, E. F. II, 1011, 2. ed.) derivatum. Quod u in his vocabulis pro o reperitur,

---

[1]) Poen. I, 2, 132.

[2]) Boppius haec vocabula a cinctu- et versu- derivari vult; cf. Vgl. gr. III, p. 216 (3. ed.), §. 824.

reputandum est in Latina lingua, quamvis rarissime id in aliis linguis reprehendatur, o et u vocales saepe inter se mutari idque ipsum in substantivis nominativa forma in -us terminatis fieri, quae in prisca Latinitate permulta et o- et u-declinationibus flectuntur. Ceterum confer Leonis Meyeri de vocalibus Graeco-Latinis disputationem, ap. Benf., Or. und Occ. p. 79.[1])

Matuta vocabuli origo incerta est.

Duo adjectiva in -otus a substantivis deducta sunt:

cestrotus et

Nodotus,

e quibus unum nihil aliud est nisi Graecum vocabulum κεστρωτός Latinis typis et Latina terminatione expressum, alterum prorsus regulari modo e nodŏ- ortum, si quidem ejus rei habetur ratio, quod perfecti passivi participia ante t literam fere semper productam vocalem antecedentem exhibent. Unum solum vocabulum omnino eodem modo ortum est, aegrôtus, derivatum a stirpe aegrŏ-; nam quod nôtus saepe cum his, de quibus agimus, duobus confertur, id propterea huc non quadrat, quia in eo vocalis natura producta est, quod e comparatione cognatarum linguarum facillime intellegitur; cf. Sansct. jnâ-ta-s, Gr. γνω-τό-ς, deducta a jnâ- et γνω- radicibus.[2])

Omnium, de quibus adhuc quaestio fuit, vocabulorum hoc erat commune, quod producta ante suffixum vocali, sive ea stirpalis erat sive injecta, certae cuidam conjugationi earum, quae

---

[1]) Im Lateinischen zeigt sich das u sehr häufig an stelle des alten a, in den meisten fällen offenbar durch den einflusz nebenstehender laute, auszer den flüssigen und nasalen insbesondere der lippenlaute. Auch hier hat belastung durch zusammensetzung mehrfach zur schwächung des vocals anlasz gegeben, so in contubernium, genossenschaft, neben taberna, hütte, contumelia, beschimpfung, neben contemnere, verachten, ex-sultare, aufspringen, neben saltare tanzen, in-sulsus, ungesalzen, neben salsus, gesalzen, in inculcare, niedertreten, neben calcare treten, oc-cupare, einnehmen, nun-cupare, benennen, re-cuperare, wieder erlangen, au-cupare, vogelstellen, neben capere, fassen, nehmen, ad-ulescens, jüngling, neben alescere, wachsen.

[2]) Valde doleo, quod non fuit facultas ejus disputationis inspiciendae, quae est de o-conjugationis Latinae reliquiis (Ueber die spuren der Lateinischen o-conjugation. Symbola philol. Bonn. I, p. 271 ff.)

communi nomine debilium comprehenduntur, videbantur addictae esse. In quibusdam tamen nominibus in -to lingua hanc ingressa est viam, ut suffixum cum stirpe mera in consonam exeunti nulla facta mutatione conjungeret. Factum autem id est, quod a nullo usque ad hoc tempus video monitum, in iis solis nominibus, quae s consona finiuntur, quaeque omnia in id suffixum exeunt, cujus forma in Sanscrita lingua est -as (man-as, animus, mens, a rad. man, cogitare; Ved. jan-as, genus, a rad. jan, gignere, RV, II, 2, 4; mah-as, magnitudo, a rad. mah, manh, crescere), in Graeca -ος, genitiva forma εος pro εσος, Ssct. asas (μέν-ος, γέν-ος, μέγεϑ-ος); in Latina lingua ex eodem suffixo variae ortae sunt formae[1]), quarum in aliis vocalis brevis servatur, in aliis mutato genere producitur, quale est hon-ôs, hon-ôr-is. A quibus substantivis -to suffixo haec adjectivu derivantur:

1) a monosyllabis

fas-tus a fas.

ne-fas-tus; debilitata vocali

fes-tus, bi-fes-tus, dies bif., Prud. περὶ στεφ. 12, 66.

jus-tus a jus.

2) a neutris in -us desinentibus.

a) servata forma originaria in -us:

onus-tus,

semi-onus-tus,

venus-tus,

per-venus-tus,

in-venus-tus.

Quamquam enim venus substantivum, ubi ejus vis est appellativa, feminini generis est, tamen Sanscrita forma van-as, neutrius generis, amoenitas, (RV, X, 172, 1, vanasâ saha, cum amoenitate) a rad. van, amare, concupiscere, docet venus et venustus huc spectare.

robus-tus a robus (Cato R. R. 17 in.), genuina forma, quae postea eodem modo in robur degeneravit, quo honôs in honor, arbôs in arbor.

---

[1]) cf. Bopp, Vgl. gr. III, §. 932.

b) debilitata u vocali in e.[1])
funes-tus, a funus, funer-is pro funes-is.
sceles-tus, a scelus, sceler-is pro sceles-is.
Non nisi cum praefixo in- conjunctum invenitur
in-tempes-tus (cf. tempes-tas),

3) a nominibus in -os.

arbus-tus ab arbus- pro arbos-, s. arbustum idem significat atque arboretum.
hones-tus ab hones- pro honos-,
faus-tus, ortum e fav-os-tus.[2])
Adjiciendum sit toti huic generi
Tiburtus, i. e. conditor Tiburis.

Quicunque libri sunt de formatione vocabulorum Latinorum, in iis omnibus de adjectivis in -tus a nominibus derivatis verba fiunt et haec vel illa eorum, quae cuncta collecta paullo ante protuli, exempli gratia leguntur. Sed vix potui animo comprehendere, quid sit cur viros doctissimos magnus numerus adjectivorum eodem modo formatorum videtur fugisse, neque ea quidem haec vel illa singula, sed quae certum quoddam genus componunt. Evolvas enim Zumptii grammaticam Latinam, invenies: Eine sehr ausgedehnte klasse von abgeleiteten adjectiven bilden die auf -atus, welche wie participia perf. pass. der ersten conjugation von substantivis gebildet werden, ohne dasz das dazwischen liegende verbum nachgewiesen werden kann cet. Inspicias alias grammaticas Latinas, idem fere invenies. Evolvas vel Boppii grammaticam comparativam: etiam in hoc libro sanctissimo sacro reperies silentio esse praetermissum, quod etiam ab aliis nominibus atque a substantivis adjectiva in -tus deducuntur. Apud unum virum vocabula in -tus ab adjectivis derivata leguntur, et quidem apud eum, cujus plurima sunt,

---

[1]) qua de re cf. Leo Meyer. ap Benf, Or u. Occ. I, p. 71. Zu nennen sind hier auch formen wie intestinus neben intus (aus intos), innen, darinnen, scelestus, lasterhaft, neben scelus (aus scelos), verbrechen, casusformen wie generis, des geschlechts, generî, dem geschlecht, die neben dem nominativ genus (aus genos), geschlecht, ganz so stehen, wie neben dem genau entsprechenden γένος der genitiv γένεος (aus γενεσος) und der dativ γένει (aus γενεσι).

[2]) cf. G. Curtius, Grundz. d. Gr. etym. p. 279 (3. ed.) no. 407.

quae de grammatica Latina comparative sunt scripta. Est enim apud Corssenum:[1])

Nach der analogie jener participialformen sind gebildet astutus, cornutus .... hirsutus, canutus (Gloss. Labb.: πολιός. Fabr. Gloss. Ital. p. 761).

Quamquam idem vir doctissimus formam solam respiciens de hac ipsa re, quod ab adjectivis adjectiva derivantur, nihil dixit, sive nihil singulare in ea putavit inesse, sive ei minutior visa est. Attamen, si consentaneum est a substantivis adjectiva derivari eandem vim, quae in illis substantivis inest, alliis vel rebus vel hominibus ut inhaerentem aut convenientem attribuentia, nonne mirum videatur ex adjectivis alia nasci adjectiva, quorum eadem videtur esse vis, praesertim cum vix unquam duo vocabula exstent prorsus idem significantia? Sine dubio hoc quoque loco differentia inter duo vocabula cognoscitur. Quae qualis sit, optime apparebit eo sumpto exemplo, ut ab adjectivo quodam verbum sit deductum. Exempli gratia proferam liberare a libero- derivatum. Liber vocabulo significatur, quid aliquis sit; liberare est liberum facere, itaque liberatus idem atque liber factus. Eademque est differentia inter frei et befreit, free et freed, ἐλευθερός et ἐλευθερωτός. Jam eodem modo differunt ater et atratus, luridus et luridatus, vetus et veteratus, gelb et vergilbt, grau et ergraut. Ejusmodi adjectiva longe plurima ab adjectivis in -o desinentibus originem ducunt, pauca a tertiae, quae vocatur, declinationis adjectivis, nulla fere alia terminatione nisi -atus.

1) Adjectiva in -atus deducta ab adjectivis in -o exeuntibus:

acutatus, Veget. Vet. 1, 22.
albatus, i. e. alba veste indutus (cf. die weisse dame), Cic. auriga a., Plin. (cf. albamentum, Apic.)
alveatus, sulcus a., Cato R. R. 43, 1.
amethystinatus, i. e. am. veste indutus, Mart. 2, 57, 2.
atratus, i. e. atra veste indutus, Cic., al. Prop. 3, 5, 24, (cf. atramentum; atr. sepiae, Cic. N. D. 2, 50 extr.)

---

[1]) Corssen, Krit. beitr. p. 517.

semiatratus, Varr. ap. Non. 107, 6.
augustatus, Jus Papir. ap. Macrob. Sat. 3, 11.[1])
aureatus, Sidon. Carm. 9, 396.
bifidatus, Plin. 13, 4, 7, §. 30.
caeruleatus, Vell. 2, 83, 2.
castorinatus, i. e. castorinis pellibus indutus, Sidon. Ep. 5, 7.
crebratus, crebratae telae pexitas, Plin. 11, 24, 28.
decuplatus, Juvenc. 3, 437.
ebriolatus, Plaut. frgm. et Laber. ap. Non.
entheatus (entheus, ἔνθεος), Mart. 12, 57, 11.
festatus, Dialis quotidie festatus est, Fab. Pict. ap. Gell. 10, 15 med.
leucophaeatus (leucophaeus, λευκόφαιος) i. e. l. veste indutus, Mart. 1, 97, 5.
luridatus, Tert. adv. Marc. 4, 8.
obuncatus, Cael. Aur. Tard. 2, 14.
obvolutatus, Veget. 3, 4, 30.
pexatus, i. e. pexa veste indutus, Mart. 2, 58, 1.
prasinatus, i. e. prasina veste indutus, Petron. 28 extr.
privatus. (cf. privatim).
pullatus, p. veste amictus, Juven. 3, 213; Sidon. Ep. 5, 4. pullati idem quod vulgus, Suet. Aug. 6, extr., p. turba, Quint. 6, 4, 6; p. circulus, id. 2, 12, 10.
semipullatus, Sidon. Ep. 1, 7.
quadrangulatus. Tert. de anim. 17.
russatus, i. e. russa veste indutus, auriga r., Plin. 7, 53, 54. sanguine r. Tert. de cor. mil. 1.
sexangulatus, Solin. 33, §. 20.
sordidatus, i. e. sordidis vestibus amictus, Comic. et Cic.; conscientia sordidatissima, Sidon. Ep. 3, 13.
susinatus (susinus, σούσινος), oleum s., Marc. Emp. 7, extr.
vivatus Lucr. 3, 410 et al.

Sequuntur quinque adjectiva eodem modo orta, semper tamen cum praepositione conjuncta.

exsinceratus,[2]) Plaut. Most. 4, 1, 11.

Lubet cavere malam rem prius,
Quam meum tergum exsinceratum fiat.

[1]) Augustare deos est apud eundem Macrob. 6, p. 201.
[2]) Non legitur hoc vocabulum in editione Ritscheliana.

inhumanatus, i. e. homo factus. Cod. Just. 1, 1, 6, §. 1. Longe igitur differt hujus vocabuli vis ab inhumanus adjectivi significatione; in quo in- praefixum idem est atque Sanscritum an-, Graecum ἀν-, Germanicum un-; contra inhumanatus compositum est ex in praepositione et vocabulo *humanatus derivato ab humano-.
obraucatus, Solin. 10, §. 13.
occallatus, Sen. N. Qu. 4, 13 extr.

2) Adjectiva in -atus derivata a nominibus in consonam exeuntibus:

centuplicatus, centuplicato venire, Plin. 6, 23, 26.
decemplicatus, Varr. L. L. 6, 5. §. 38.
veteratus, ulcera v., Plin. 32, 10, 52., caseus v., Srib. Larg. 140.

ab i-stirpibus haec ducunt originem:

aequilibratus, Tert. adv. Hermog. 14.
campestrati, i. e. campestri cincti, Augustin. C. D. 14, 7.

Unum exstat vocabulum in otus:

aegrotus, ab aegrŏ-,

duo in -utus:

hirsutus, (cf. Pott, E. F. II., 1011, 2. ed.), ab hirso- pro hirto-
canutus, Gloss., Labb.: πολιός. Fabr. Gloss. Ital. p. 761,

duo, in quibus -to suffixum simpliciter ultimae literae stirpali adjungitur:

ubertus (uber-), Gell. (cf. ubertim).
vetustus (vetus-).
pervetustus.

Non inconsulte omnia in -to vocabula, quot collegeram, singillatim percensui, priusquam de eorum significatione verba facerem. Etenim si quis ea omnia certo quodam ordine ante oculos disposita viderit, jam inde facile confiteatur secundum significationes certas rubricas fieri non posse. Nihilo setius tamen vocabula docent multa a nominibus notione inter se cognatis derivata esse. Suffixi vero vim semper sibi constare tenendum est, quam si quem forte non pigeat adjectiva supra allata inter se comparare, intelleget eam esse, ut aliquis homo vel aliqua res ea, quae nomine illo exprimitur, re esse praeditus vel instructus dicatur. Nam quod multa ejusmodi vocabula aliter in aliis linguis redduntur atque praeditus vel instructus hac vel illa re, in substantivo ipso, cui suffixum jungitur, causa inest, cur id fiat. Cum enim, qui dici possit tunica praeditus, ea indutus esse necesse sit, recte dicimus „mit einer tunica bekleidet“ (tunica vestitus), et cum margarita sit ornamentum, margaritatus vocabulum reddimus nostro „mit perlen geschmückt“ (margaritis ornatus).

Imprimis autem -to suffixum cum hisce generibus nominum conjungitur:

1) Cum iis substantivis, quae corporis quandam partem sive hominum sive animalium significant, unde orta sunt:

barbatus, costatus, mentulatus, capitulatus, cirratus, digitatus, oculatus, impraeputiatus, testiculatus, capitatus, dentatus, vasatus, decervicatus, artuatus, manuatus, auritus, inauritus, recutitus, nasutus.

alatus, jubatus, pennatus, depennatus, pinnatus, ungulatus, suminatus, cornutus, squamatus.

2) Cum substantivis ad vestimenta spectantibus:

caligatus, crepidatus, soleatus, cothurnatus, soccatus.

mitratus, personatus, tiaratus, petasatus, pileatus, apicatus, cucullatus.

mastrucatus, paenulatus, praetextatus, stolatus, togatus, trabeatus, tunicatus, indusiatus, palliatus, expalliatus, palliolatus, sagatus, sagulatus, paludatus, chlamydatus, pellitus.

bracatus, manicatus, manulcatus.

galbanatus, purpuratus, coccinatus, fasti purpurissati i. e. fasti purpurissatorum, linteatus, sericatus.

3) Cum iis substantivis, quae ad militis armaturam pertinent:

cristatus, hastatus, ocreatus, parmatus, perticatus, pharetratus, sarcinatus, contatus, gaesatus, pilatus, scutatus, veruculatus, verutus, thoracatus.

4) Cum substantivis ornamentum quoddam significantibus:

armillatus, bracteatus, margaritatus, phaleratus, viriatus, anulatus, torquatus, baccatus, bullatus, sertatus.

tropaeatus, laureatus, infulatus, vittatus, lemniscatus, limbatus, patagiatus; auratus, eburatus.

5) Cum iis, quae formae quandam speciem exprimunt:

caveatus, fistulatus, mammatus, alveatus, alveolatus, canaliculatus, tubulatus, cochleatus, dolabratus, fibratus, fimbriatus, furcillatus, ostreatus, palmatus, securiclatus, brachiatus, corniculata luna, cultellatus, cultratus, denticulatus, echinatus, geniculatus, hamatus, lupatus, ovatus, scalpratus, umbilicatus, uncatus, uncinatus, absidatus, mucronatus, muricatus.

angulatus, orbiculatus, perpendiculatus, pyramidatus, cylindratus, semicirculatus.

guttatus, scutulatus, strigatus, tessellatus, virgulatus, undatus, interundatus, ocellatus, oculatus, reticulatus, scamnatus, vermiculatus, apiatus.

Non est praetereundum silentio, quod vocabulorum in -to haud pauca a nominibus e Graeca lingua assumptis originem ducunt, quod magno documento est multa eorum non ante esse orta, quam eo tempore, quo, ut nos olim e Franco-Gallorum lingua, sic Romani e Graeca multa vocabula paullisper mutata terminatione in suam linguam transtulerunt. Exempli vice haec adjectiva fungantur:

anethatus (anethum, ἄνηθον), cacabatus (cacabus, κάκαβος), contatus (contus, κοντός), corymbiatus (corymbion, κορύμβιον), cothurnatus (cothurnus, κόθορνος), cylindratus (cylindrus, κύλινδρος), patagiatus (patagium, παταγεῖον), petasatus,

(petasus, πέτασος), sapphiratus (sapphirus, σάπφειρος), spleniatus (splenium, σπλήνιον), absidatus (absis, ἀψίς), chlamydatus (chlamys, χλαμύς), cycladatus (cyclas, κυκλάς), sardonychatus (sardonyx, σαρδόνυξ), syringatus (syrinx, σῦριγξ),, thoracatus (thorax, θώραξ).

Haec habui, de nominibus suffixo -to a nominibus adjectiva notione derivatis quae dicerem. Facere autem non possum, quin hoc loco adjectiva nonnulla in -atus proferam quodammodo huc pertinentia. Quorum quae sit varia ratio, optime elucebit, si singula explicando, quae explicatione egent, protulero, idque ita, ut, quae sint simplicissima, primo loco ponantur, sequantur alia.

Perquiritatus (Claud. Mam. de statu anim 1, praef. a med.) formatum est velut participium verbi frequentativi in modum eorum deducti, quae e praesentis temporis stirpe oriuntur, ut agitare, noscitare. Ceterum

quaeritare verbum in usu erat.

usitatus est quasi participium verbi frequentativi ab uti originem ducentis.

angelificatus, in angeli naturam mutatus, (Tert. Carn. 25).

turpificatus, animus t., Cic. Off. 3, 29, 105.

concorporificatus, Tert. adv. Valent. 23.

naturificatus,[1]) animae n., Tert. adv. Valent.

Haec quatuor vocabula sunt quasi participia perfecti passivi ad verba ab adjectivis *angelificus, *turpificus, *concorporificus, *naturificus eodem modo derivata atque falsificare a falsificus pertinentia. Rectius igitur vocabulum concorporificatus ab adjectivo *concorporificus, orto e con et *corporificus, cujus quidem partes corpus substantivum et -ficus sint, deductum videatur, quam quod Georges (Lat. D. handwörterbuch, s. v.) vult e verbo concorporare et ficus, quoniam plane abhorret a linguae Latinae legibus compositi nominis priorem partem verbum obtinere.

Ad haec vocabula optime applicatur

famigeratus, quasi participium perfecti passivi verbi a famiger adjectivo derivati; *famiger autem fictum videtur secundum analogiam illorum e substantivo et syllaba -ger ad verbum gerere spectanti formatorum

[1]) de i vocali in hoc vocabulo cf. Bopp, Vgl. gr. III.

nominum, qualia sunt armiger, lauriger. Non levis momenti ad famigeratus vocabulum oriendum fuerit, quod etiam famigerator,[1]) famigeratio,[2]) famigerabilis[3]) inveniuntur.

Restant

undulatus, quasi deminutiva forma undatus adjectivi (cf. vetus, vetusculus; tener, tenellus; quantus, quantulus, quantillus; valens, valentulus et ea, quae a Zumptio paragrapho 259 grammaticae Latinae commemorata sunt.

viscellatus, visceribus avium pisciumque conditus aut confectus (Plin. Val. 2, 17), quod, nisi falso legitur, deminutivi ad *visceratus adjectivum a viscera (viscer-) substantivo derivatum spectantis locum obtinet.

contortiplicatus,[4]) contortus et plicatus. Hoc sane vocabulum maxime miram praebet speciem. Compositorum enim ad id genus spectat, cui grammatici Indi nomen „dvandva" imposuerunt. Cum autem in Sanscrita lingua ejusmodi composita „dvandva" appellata saepissime obveniant,[5]) quae e binorum aut plurium substantivorum conjunctione oriuntur, rarius in aliis linguis[6]): non ita usitatum ne in ipsa quidem lingua Sanscrita est id genus, quod bina adjectiva composita complectitur, ut vrttapîna (rotundus et crassus), Graecum λευκομέλας, Germanum schwarz-weiss-roth. E Latina vero lingua ne a Boppio quidem ullum vocabulum huc spectans commemoratum video, neque ego quamvis perscrutatus lexicon aliud inveni nisi hoc ipsum contortiplicatus.

[1]) Plaut. Trin 1, 2, 178: Ego de eorum verbis famigeratorum insciens . . .

[2]) Plaut. Trin. 3, 2, 66. haec famigeratio Te honestet.

[3]) Varr L. L. et Apul.

[4]) Plaut. Pers. 4, 6, 26. Ita sunt Persarum mores: longa nomina Contortiplicata habemus.

[5]) târâravîndavas, stellae et sol luna (satsu târâravîndushu Bhartrhari), mâtâpitarau mater et pater.

[6]) cf. Gr. νυχθήμερον, Lat. suovetaurilia.

Separatim hoc postremo loco multa illa nomina in -etum desinentia tractaturus sum, quae cuncta a ceteris nominibus to suffxo finitis eo distinguuntur, quod omnia substantivam vim induerunt et omnia ad certum quoddam genus substantivorum notione inter se cohaerentium spectant. Quibus quid e cognatis linguis comparem, prorsus nescio. Neque facilius sit ad explicandum, cur e vocalis in omnibus appareat. Haec vocalis, ut quibusdam placet, videtur docere illa vocabula e-conjugationis participiorum instar esse formata. Sed nonne potius hac ipsa vocali alio deducamur, cum non plus unum verbum in -ere inveniatur, quod ejusdem stirpis est atque hujusmodi nomen -etum syllabis terminatum (virere - viretum)? Namque non solum verborum in -ere sunt participia in -etus, sed non minus eorum, quae in -escere syllabas exeunt, ut ad crescere pertinet cretus, ad quiescere quietus, ad ex-olescere, obs-olescere, exoletus, obs-oletus. Gravissimi vero momenti sit, quod non desunt verba in -escere ejusdem stirpis, quae in quibusdam horum in -etum desinentium nominum reperitur; cf. arboretum et arborescere, fruticetum et fruticescere, juncetum et e-juncescere, masculetum et masculescere, spinetum et spinescere; neque praetermittendum est silentio, quod, quamquam verbum *saxescere non reperitur, quod cum nomine saxetum comparetur, tamen id, quod potestate sua cognatum est, lapidescere exstat Quae cum ita sint, nos non longe a vero aberraturos puto, si -etum syllabis finita nomina artiore quodam connexu cum verbis in -escere desinentibus cohaerere statuamus. Id si concessum sit, ipsis illis vocabulis haec vis est tribuenda, ut non tam locum quendam significent, in quo eae plantae, quae stirpe vocabuli indicantur, crescant, quam ipsas illas plantas collectivo nomine quasi quoddam unum idque perfectum expressas; idque ipsum etiam in cetera ejusmodi nomina non a plantarum significationibus derivata quam bene quadret, mox intellegetur, si singula nomina protulero.

Derivantur igitur a plantarum atque imprimis arborum nominibus haec:

arboretum (arbor),
aesculetum (aesculo-; adj. aesculeus),
arundinetum (arundin-),

buxetum (buxo-),
cannetum (canno-),
carduetum (carduo-),
castanetum (castano-),
citretum (citro-),
cornetum (corno-),
coryletum (corylo-, κορυλο-), Ov. Fast. 2, 587.
cupressetum (cupressa-),
ficetum (fico-),
fruticetum (frutic),
ilicetum (ilic-),
juncetum (junco-),
lauretum (lauro-),
lilietum (lilio-),
myrtetum sive murtetum (myrto- s murto-).
nucetum (nuc-),
olivetum (oliva-),
opobalsametum (opobalsamo-) Justin. 36, 3, 3.
palmetum (palma-),
pinetum (pino-),
pometum (pomo-), Pallad. 1, 36.
populetum (populo-),
quercetum (quercu-),
spinetum (spino-),
vepretum (vepri-) Col. 4, 32.
viminetum (vimin-),
vinetum (vino-),
virgetum (virga-).

In nonnullorum aliorum formatione est, quod explicatione egeat. In tribus enim vocabulis ĕ vocalis ante -tum suppressa est, unde fiunt

salictum (salix, salic-is),
(vervactum (vervag-ere),
virgultum (virgula-).

Sed hae ipsae formae docent vocabula ea, de quibus agitur, maxime participiorum praeteriti passivi analogiam sequi (doctus, ac-tus, cul-tus).

Accedit ad haec quarto loco

carectum Col. et al., derivatum a nomine carex, (caric-);

in quo vocabulo ut e vocalis ratio luculentissime appareat, verba in -icere desinentia in memoriam revocanda sunt; iu quibus, quotiescunque syllaba stirpalis una consona concluditur, i vocalis apparet, sin syllabam stirpalem duae sequuntur consonae, pro i invenitur e; quare dicitur adspicere, allicere, conficere; adspectum, allectum, confectum, adspexi (pro adspec-si), allexi (pro allec-si), ob eamque causam dicitur et carex (pro carec-s) et carectum.

Mira sane specie est

salictetum, Ulp. Dig. 47, 7, 3, ductum a salicto-, tamquam si salictum certam quandam arborem vel aliam plantam significet, ac non collective multas salices.

senticetum ad stirpem sentic- redit (cf. sentix, Apul. Herb. 87); c autem eodem modo stirpi ei, quae in sentis nomine inest, se conjungit atque in frutic- (frutex) et in adjectivo hum-ec-tus idem significanti quod humidus. Fortasse eodem modo sese expediat bucetum, Lucan. 9, 185, Gell. 11, 1, 11. Addita enim consona c ad stirpem bovi- primum fieri potuit bovic-, unde *bovicetum; ex quo, sicut e *bovibus fit bubus, fieri potuit bucetum.

Etsi igitur his nominibus non significabatur locus quidam, tamen semper ei, qui ejusmodi vocabulo utebatur, et iis, qui audiebant, locum ante oculos versari necesse erat. Itaque mox etiam haece vocabula dicta sunt:

asspretum (aspr., cf. etiam aspredo),
bustum et busticetum (cf. supra s. v. senticetum),
candetum, secundum lexica ortum e Celtico vocabulo kand, id quod centum, agrum centenorum pedum in quadrum significans.
dumetum (dumo-),
fimetum (fimo-),
funetum (a funi-), i. e. vinum arcuatim funibus conjunctum.
glabretum (cf. glabrescere),
masculetum (masculo-), Plin. 17, 22, 35 no. 14.
novelletum, Paul. Dig. 25, 1, 6.
oletum (olere), (cf. fimetum).
porculetum. Plin. 17, 22, 35, no. 9.
rumportinetum (rumportino-),

sabuletum (sabulo-),
saxetum (saxo-),
sepulcretum (sepulcro-),
veteretum (veter-),
viretum (virere, virescere).

Eodem modo explicandum sit

Argilletum, ab argilla derivandum, rectius igitur geminata litera l scribendum; unde producta altera syllaba, cf. Verg. Aen. VIII. 345.

Nec non et sacri monstrat nemus Argilleti.

Ad finem hujus disputatiunculae perveni, qua num quid profecerim, viri doctiores dijudicabunt; ego vero, si non omnino operam et oleum perdidisse visus ero, vel maxime concitabor, ut majora aggrediar.

VITA.

Natus sum Georgius Bordellé anno hujus saeculi L. a. d. IX. Cal. Apriles patre Rudolpho, matre e gente Paul, Silesiae superioris in vico, cui nomen est Rudzinitz. Matrem praematura morte mihi esse abreptam valde doleo. Fidem profiteor evangelicam. Prima literarum elementa cum didicissem, a parentibus Vratislaviam missus puer decem annorum in sextam classem gymnasii Maria-Magdalenaei sum receptus. Septem annis et dimidio post testimonium maturitatis adeptus Universitatis literariae Viadrinae civium numero sum adscriptus fasces tenente illo tempore viro illustrissimo Roepell. In philosophorum ordinem relatus per quatuor semestria scholas frequentavi vv. ill. Braniss, Hertz, Junkmann, Neumann, Reifferscheid, Rossbach, Rueckert, Stenzler, Zupitza. Deinde Lipsiam me contuli, quippe ubi maxime studia grammatica florere cognovisse mihi viderer. Receptus sum in philosophorum ordinem a viro illustrissimo Zarncke. Scholas autem cum frequentarem vv. ill. Brockhaus, Curtius, Drobisch, Ebert, Overbeck, Ritschl, Zarncke, imprimis a viris doctissimis Curtius, Ritschl, Zarncke aliquem literarum fructum ut perciperem, operam dedi. Aliquamdiu interfui seminario philologico, cui tunc Fridericus Ritschelius praeerat.

Insecutum est nobile illud contra Franco-Gallos superbos bellum, neque inventus est fere quisquam qui arma ferre posset, quin libenter studia reponeret, arma caperet. Ego, postquam per aliquot menses Vratislaviae armorum usu sum instructus, cum multis aliis, quippe cum e legione nostra multi milites cecidissent, in Franco-Galliam missus sum. Ibi interfui proelio a. d. XII. Calendas Januarias commisso, cum ab hostibus ex urbe Lutetia Parisiorum eruptio facta esset, itemque interfui duobus minoribus proeliis nocturnis mense Januario ibidem commissis. Inde a mense Augusto anni MDCCCLXXI. rursus literarum studiis me dedi. Restat, ut commemorem me a mense Novembri ejusdem anni puero educando operam dare.

Omnes autem, quorum scholis affui, imprimis vero vv. ill. Hertz et Zarncke, grata memoria semper amplector.

Theses.

I. Ea, quae Curtius (Grundzüge der Griech. etymologie p. 130, III. ed.) ad invitus vocabuli etymologiam explicandam affert, non videntur esse probanda.

II. Non assentior Mommseno, qui negat foedus id, de quo Polybius capite XXII. libri tertii agit, anno DIX ante Christum inter Romanos et Carthaginienses factum esse.

III. Cornelii Nepotis de ducibus excellentibus liber non videtur esse idoneus, qui pueris quarti ordinis gymnasiorum legendus detur.

IV. Venerem Capuanam, quae vocatur, scutum manibus tenuisse verisimile est.